LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS

DISSERTATIO HISTORICA ET *LITERARIA*

DE

VITA CROESI

QUAM XENOPHON IN CYROPAEDIA TRADIDIT, AD FIDEM HISTORICAM EXACTA.

BERLIN COLLECTION.
JUN 3 1910

DISSERTATIO HISTORICA ET LITERARIA

DE

VITA CROESI,

QUAM XENOPHON IN CYROPAEDIA TRADIDIT, AD FIDEM HISTORICAM EXACTA;

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

HENRICI GUILIELMI TYDEMAN,

JURISCONSULTI ET ANTECESSORIS,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTIT

JACOBUS KLERK, P. F.

ROTERODAMENSIS.

Ad diem 21 *Maji* MDCCCXXV. *Horâ* XI — XII,

IN AUDITORIO MAJORI.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD VIDUAM M. CYFVEER, J. FIL.

MDCCCXXV.

881
X2c.4K2

V I R O

D O C T I S S I M O

CORNELIO SCHOL VAN EGMOND

GYMNASII GOUDANI RECTORI

EMERITO.

D. D. D.

AUCTOR.

DISSERTATIO HISTORICA ET *LITERARIA*

DE

VITA CROESI

QUAM XENOPHON IN CYROPAEDIA TRADIDIT, AD FIDEM HISTORICAM EXACTA.

INTRODUCTIO.

A prima inde pueritia Historiae antiquae suavitate ita sum captus, ut nihil praeferrem. Ea aetate, ut vulgo fit, facta cujusque seculi maxime memorabilia, quoad poteram, memoriter tenere conabar, et jam mihi aliquis esse videbar, si alios de quadam Historiae parte loquentes audiens animadverterem, me, quae didiceram, recte tenuisse. Mirabar autem in rebus nonnullis variorum auctorum dissensum: et sperabam aliquando fore ut eo venirem, ut recte de iis possem judicare. In hanc

Academiam delatus animadverti, si viam, quae ad rectam historiae cognitionem duceret, ingredi vellem, veterum scriptorum monumenta mihi esse perscrutanda. Ab iis igitur initium ducens, qui intellectu sunt faciliores, Graecorum Romanorumque scriptorum lectionem continuavi, quam in scholis inceperam; paullatim deinceps difficiliores aggredi ausus sum. Mirum in modum unusquisque fere mihi placebat: sed servabam, quo semel puer fueram imbutus, Historiae amorem: hinc prae reliquis Historicos, quoad fieri poterat, accurate legebam; et ita legebam, ut singulos inter se compararem, eorumque dissensum vel consensum animadverterem, et in uniuscujusque fidem auctoritatemque inquirens, notarem, quid de singulis statuendum esset. Saepe me errasse postea comperi ex Doctorum Virorum animadversionibus; hos autem errores mihi ipse ignoscebam, conscio juvenilis aetatis. Interim tertius jam exierat annus; et in eo eram, ut argumentum quaererem dissertationis conscribendae: mihique in mentem venit Xenophontis Cyropaediam ad fidem historicam exigere. Repetitionem igitur institui lectionis Xenophonteae; eo consilio, ut notarem ea, quae notatu digna ad propositum conducere posse putabam. Quum autem jam aliquod temporis spatium huic rei tribueram, animadverti dissertationem in nimis spissum volumen exituram, si

si talis esset, qualem esse volebam. Comperi enim hoc argumentum non quidem data opera, sed quasi in transitu a plurimis interpretibus esse tractatum; praeterea multa inveniri subsidia, quae ipsa disponere jam longum est. Abjeci igitur consilium Cyropaediae totius ad fidem historicam exigendae. Exemi partem.

Xenophontem autem in Cyropaedia conscribenda non ubique fidem historicam servasse inter eruditos constat. Jam enim a Platonis tempore haec multorum fuit sententia. DIOGENES LAERTIUS *in vita Platonis* L. III. Segm. 34. dicit contentionem (1) quandam fuisse Platonem inter et Xenophontem, ambosque nonnulla similia scripsisse; atque hunc inter alia Cyri institutionem, illum libros de Republica, et dicere in Legibus *πλάσμα εἶναι τὴν παιδείαν αὐτοῦ* (Xenophontis) *μὴ γὰρ εἶναι Κύρον τοιοῦτον.* PLATO autem, nam locum afferri omnino opus est, haec habet in L. III. *de Legibus* pag. 692 D. *μαντεύομαι δὴ νῦν περί γε Κύρου τὰ μὲν ἄλλ' αὐτὸν στρατηγόν τε ἀγαθὸν εἶναι καὶ φιλόπολιν, παιδείας δὲ ὀρθῆς οὐκ ἧφθαι τὸ παράπαν; οἰκονομίᾳ τε οὐδὲν τὸν νοῦν προσεσχηκέναι. Ἔοικεν ἐκ νέου στρατεύεσθαι διὰ βίου, ταῖς γυναι-*

(1) Plures inimicitiarum rumores attulit Laërtius, de quibus agit Doctiss. GROEN VAN PRINSTERER *in Platonis Prosopographia* pag. 56.

ναιξὶ παραδοὺς τοὺς παῖδας τρέφειν, αἱ δὲ, ὡς εὐδαίμονας, αὐτοὺς ἐκ τῶν παίδων εὐθὺς καὶ μακαρίους γεγονότας, καὶ ἐπιδεεῖς ὄντας τούτων οὐδενὸς, ἔτρεφον· κωλύουσαι δὲ ὡς οὖσιν ἱκανῶς εὐδαίμοσι, μητὲ αὐτοῖς ἐναντιοῦσθαι μηδένα εἰς μηδὲν, ἐπαινεῖν τε ἀναγκάζουσαι πάντας τὸ λεγόμενον ἢ πραττόμενον ὑπ' αὐτῶν, ἔθρεψαν τοιούτους τινάς. . . . Ὁ δὲ πατήρ γε αὐτοῖς αὖ ποίμνια μὲν καὶ πρόβατα καὶ ἀγέλας ἀνδρῶν τε καὶ ἄλλων πολλῶν πολλὰς ἐκτᾶτο· αὐτοὺς δὲ οἷς ταῦτα παραδώσειν ἔμελλεν, ἠγνόει τὴν πατρῴαν οὐ παιδευομένους τέχνην. — Hicce autem Platonis locus, quem Diogenes, ut opinor, ante oculos habuit, haec ejus verba minime confirmare videntur. Narrat etenim Plato quo pacto regnum Persicum sub Cyro et Dario Hystaspis ita floruerit, et sub Cambyse aliisque ceciderit. Caussam, cur haec regni mutatio locum habuerit, in eo positam fuisse contendit, quod Cyrus et Darius non inter mulieres fuerint educati; quorum mores itaque integri manserunt. Quum enim Cyrus per totam vitam militia esset occupatus mulieribus filios tradidit educandos; quae ipsos, ut felices statim pueros atque beatos, nullius rei indigentes, sic educabant ut prohiberent, ne quis iis, utpote beatis aliqua in re adversaretur: cogentes omnes, quidquid ipsi dicerent, aut facerent, laudare. Ob hanc igitur perversam a Cyro inceptam consuetudinem

acriter Cyrum reprehendit. Plato fatetur quidem in ceteris Cyrum fuisse ducem bonum; sed rectam disciplinam, i. e. eam, quae ad regni veram felicitatem et diuturnitatem faceret, nullo pacto attigisse; nec ad rei familiaris administrationem animum unquam applicuisse. Menagius *in Observat. ad Diog. Laert. Vit. Plat.* p. 90. etiam dicit ex eo loco, quem Laërtius respexit, minime colligi posse fabulosam esse Cyri vitam: Id tantum, de disciplina Cyri aliter sensisse Platonem, aliter Xenophontem (2). — Cyrus autem non studuit bonae suorum liberorum, minime Cambysis educationi. Xenophon contra describit tantum, qua ratione ipse Cyrus sit educatus.

Cicero haec habet de illo opere *in Epist. ad Q. fratrem* I. 1. 8. „Cyrus ille a Xenophonte non ad historicam fidem scriptus, sed ad effigiem justi imperii, cujus summa gravitas ab illo philosopho cum singulari comitate conjungitur, quos quidem libros non sine caussa noster ille Africanus (3) de manibus ponere solebat; nullum est

(2) Idem ait Athenaeus L. XIII. ubi eundem locum commemorat.

(3) Et sunt nonnulla Scipionis facta, in quibus exemplum Cyri imitatus esse videtur. v. g. magnam prudentiam et continentiam ostendit Cyrus, in causa Pantheae L. V. c. 1. Uxorem non laedit, verum Abradatae postea reddidit. Sic Scipio in Hispania militans, quum formosissimam virginem cepisset, cum ea ho-

est enim praetermissum officium diligentis et moderati imperii." Idem *in Bruto* c. 29. Κύρου παιδείαν interpretatur *Cyri vitam et disciplinam.* Quod autem ad Latinam interpretationem Κύρου παιδείας attinet, ex ipso Xenophonte apparere videtur disciplinam militarem significari (4), et exinde mores et instituta publica (5), cum ceteroquin παιδεία τῶν παίδων memoratur (6). In hoc opere etenim hoc praecipue egisse videtur, ut ostenderet, quomodo Cyrus bellis fortiter et sapienter gerendis magnum imperium posset acquirere, tum praeterea hoc bello finito, narrat quomodo illud sapienter instituerit (7), et disciplinam aulae domesticam exponit.

Dionysius hallicarnassensis *ad Pompejum* c. 15. p. 130. *edit. Sylburg.* laudat Κύρου παιδείαν εἰκόνα βασιλέως ἀγαθοῦ καὶ εὐδαίμονος: itaque non historici sed philosophi Xenophontem munere usum esse tradit, cui hermogenis verba L. II. Orat. addimus τὸ μέν τοι τὸν περὶ Ἀβραδάτην καὶ τὴν Πάνθειαν πᾶν ἦθός τε καὶ πάθος πολλὰς ἔσχε τὰς ἡδονὰς μυ-

honestissime egit et Allucio Sponso tradidit. Liv. XXVI. 49. 50. val. max. L. IV. Cap. 3. Ex. I. gellius N. A. L. VI. c. 5. Conf. etiam bolingbroke, *Briefe über das studium und den Nutzen der Geschichte.* Leipzig 1794. I Th. pag. 21 et 146.

(4) Conf. heumannus *Poec.* Tom. II. pag. 2.

(5) V. g. L. I. Cap. II. L. VII. Cap. V. §. 37 sqq.

(6) Cyrop. L. I. Cap. V. §. 5. — Conf. heumann. l. c. et harles *ad Fabricium* III. pag. 3.

(7) Vid. L. VII. Cap. V. §. 37 etc. L. VIII. C. I. etc.

μυθικῶς πλασθέν. Ad hunc locum dicendum nobis videtur, etiamsi Abradatae et Pantheae historiam verbis ornaverit Xenophon, tamen ex eo minime apparere, de toto opere ita judicasse Hermogenem.

Huc etiam pertinet GELLIUS *Noct. Att.* XIV. 3 dicens: „Xenophontem inclyto illi operi Platonis, quod de optimo statu reipublicae civitatisque administrandae scriptum est, lectis ex eo duobus libris, qui primi in vulgus exierant, opposuisse contra et scripsisse diversum regiae administrationis genus, quod *παιδείας Κύρου* inscriptum sit."

Longe autem clarior de Cyropaedia locus est apud AUSONIUM *Panegyr. ad Gratian.* p. 198. *ed. Wetst.* „Vellem" ait „si rerum natura pateretur, Xenophon Attice, in aevum nostrum venires, tu, qui ad Cyri virtutes exsequendas votum potius quam historiam commodasti; cum diceres non qualis esset, sed qualis esse deberet."

Fere communis igitur veterum scriptorum, qui quidem ad nos pervenere, fuisse videtur opinio, Cyropaediam Xenophontis non ad fidem historicam esse scriptam. Recentiorum ea de re variae sunt sententiae, quorum alii plane omnem fidem negant, alii tribuunt, alii media quadam via procedunt.

Primum itaque eorum, qui omnem fidem plane negant, sententias commemorabimus et argumenta praecipua addemus.

Vos-

Vossius *de vit. Serm. Lat.* L. III. c. 36. dicit: „ Persicum illum morem (Cyrop. L. VIII. c. VI. §. 17. *de tabellariis per stationem dispositis*) primitus a Cyro institutum vult Xenophon: sed hoc fide dignior Herodotus, qui in Vrania Xerxi adscribit." Scaliger in *Prol. de emend. temp.* pag. 31 sq. contendit Cyropaediam esse historiam fictam; quam sententiam etiam sequuntur LUD. VIVES *de trad. discipl.* L. V, S. CALVISIUS *Isag. Chron.* I. 26, MANUTIUS *ad Ciceronis Epist. ad Q. fratrem* I. 1, 8. Petavius *Ration. Tempor.* pag. 91, FRAGUIERIUS *in diss. sur la Cyrop. dans les Mem. des Inscript. et belles Lett.* Tom. II. p. 63. LEUTWEIN *in Prol. de paedeut. Xenophontis.* Halae Suev. 1779, qui omnes vel auctorum, quos citavimus, testimoniis, vel suo judicio freti, Cyropaediam fabulis annumerarunt. — Millotus *in Hist. Univ.* Tom. I. pag. 152. etiam credit philosophicum magis quam historicum esse opus et ideo nullam fidem tribuit.

Zeunius *in notis ad principium Cyropaediae* sic judicat: „ Xenophon, quemadmodum tota operis descriptio et forma prodit, summum suisque numeris absolutum Regem et Imperatorem descripsit, Cyrumque adeo finxit, qualis quidem in omni genere esse debuerit, non qualis re fuerit. Ergo ex scriptoribus et inprimis Herodoto, quem ob oculos

los saepe numero habuisse facile animadvertitur, sumsit, quidquid ad rem caussamque pertinere existimabat, praetermissis aut mutatis iis, quae a persona optimi Regis, qui regnum recte et honeste partim vi, partim consilio et humanitate parit, partimque prudenter et tuto conservat, abhorrere videbantur."

Harlesii, *in notis ad Fabricii Bibl. Graec.* Tom. III. p. 4., qui etiam judicium de Cyropaediae veritate protulit, verba sunt: „Equidem reor, Xenophontem in his libris imperium regium, sc. Monarchiam, feliciter moderateque administrantem, commendaturum atque praecepta fuisse daturum, quomodo princeps a pueritia bene recteque institui, prudentiae, sapientiae, omnisque virtutis legibus mature erudiri perpetuoque exerceri, corpus ejus animusque rite formari, et ille suis civibus fide, cura sollertiaque imperare, denique ita regnare debeat, ut jucunde secureque cum suis vivere et, suis virtutibus rectique et gratae posterorum memoriae conscientia fretus, quiete mori possit, Cyrum tamquam exemplum boni perfectique Regis, quod imitarentur reliqui, proposuisse. Ex vera igitur historia Persarum Cyrique ea delegit, quae consilio suo apta viderentur; sed multa, quibus potissimum sua praecepta virtutemque a Socrate traditam, etiam Regibus regnisque utilem, commendaret principibus, ingenio-

se suo Cyro affinxisse, multa exornasse atque amplificasse, adeoque libellum fere quendam romanensem, uti dicunt, politicum, eumque egregie conscripsisse arbitror. Hinc multus est de educatione et principis et civium, de disciplina militari, regio imperio, maxime utili ac necessario, de temperantia aliisque virtutibus. Idem de obitu Cyri ab aliis discedit scriptoribus, ut multa adhuc salubria consilia hac ratione commode dare Regibus, et utilitatem Socraticae doctrinae, tanquam in exemplo, laudare posset. Vera, quae plurima fuerint, falsis, ingeniose excogitatis lepideque et probabiliter expositis, suaviter miscuit."

Desvignollius et sancto crucius, qui nostris fere temporibus vixerunt, Xenophontem non historiam Cyri scripsisse putant: sed eum fictam quandam rerum narrationem, quam Romanticam vocant, concinnasse (8). Hic inprimis etiam ostendere conatus est, terrarum situm minime observatum esse a Xenophonte; quod opusculum Schneiderianae editioni additum est.

Weiskius cum eoque schneiderus, statuunt (9) Xenophontem in Cyropaedia docere voluis-

(8) Conf. Cl. Ten brink *de Cyropaedie vertaald* II Deel. Inleiding.

(9) Weiskius *in Cyrop. Proleg.* pag. 125. Schneiderus ad L. I. c. 1. *Cyropaediae* p. 2. et ad. L. VIII. c. 7. p. 637.

luisse, quibus belli et pacis artibus imperium acquiri et servari possit: et addunt Xenophontem bene docuisse, quomodo bellis fortiter et prudenter gerendis magnum impenium acquiri possit, alterum minus fecisse planum, quomodo idem debeat conservari.

WYTTENBACHIUS, ut etiam hujus Immortalis et optime de litteris meriti Viri sententiam addam, *in praefatione ad Sel. princ. histor.* pag. 13. dicit: „in Cyropaedia scriptam esse Cyri Majoris institutionem: quem non ad historiae fidem, sed in boni Regis exemplum Socraticis informavit praeceptis."

Recitavimus itaque eorum, qui plane omnem fidem Cyropaediae negant, testimonia; nunc argumenta in medium proferemus. His utuntur:

Primo Xenophonti opponunt, quod Cyrum depinxerit tanquam Imperatorem Optimum et nullis vitiis imbutum hominem. Et, ut hoc argumentum magis valeret, addunt, quod Xenophon a reliquorum scriptorum narrationibus dissentit. Astyagem etenim a nepote Cyro regno exutum esse testantur et HERODOTUS L. I. c. 130. et CTESIAS *in Excerpt. initio.* XENOPHON contra scribit Astyagem Medorum Regem in Media diem obiisse supremum, et ei successisse Cyaxarem (10). Xenophonti adsen-

(10) XENOPH. *Cyrop.* L. I. c. 5 §. 2.

sentit DANIEL, nam, quamvis de Astyage ipso mentionem non fecerit, tamen Darium Medum, qui idem fuisse videtur ac Cyaxares (11), et Babylone sedem post expugnationem fixit, nominat, cui successit Cyrus: qui in bello socius fuerat, et cui Babylonis expugnandae inprimis provincia a Cyaxare data erat (12). Multo autem clarior de eo locus est JOSEPHI *Ant. Judaic.* L. X. c. 12, qui idem fere tradit quod Xenophon. *Δαρείῳ*, inquit, *τῷ καταλύσαντι τῶν Βαβυλωνίων ἡγεμονίαν μετὰ Κύρου τοῦ συγγενοῦς ἔτος ἦν ἑξηκοστὸν δεύτερον, ὅτε τὴν Βαβυλῶνα εἷλεν, ὃς ἦν Ἀστυάγους υἱός, ἕτερον δὲ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ἐκαλεῖτο ὄνομα.* His trium scriptorum testimoniis opponunt Herodotum et Ctesiam, et qui eos sequuntur, quae ita magnopere differunt, ut singuli separatam teneant Regum successionem (13); et quae praeterea scatere videantur superstitiosis traditionibus et fabulis e vulgo captis. Sic etiam judicamus de Cyri obitu, in quo etiam magnus dissensus Xenophontem inter reliquosque exstat. XENOPHON *Cyrop.* L. VIII. c. 7. tradit Cy-

(11) ROOYAARDS *over het belang van het Boek van Daniel* p. 120 sq. MUNTINGHE *Gesch. der Mensch.* VIII Deel. p. 30. Conf. HUTCHINS. *Dissert.* I. pag. 50 et 51.
(12) DANIEL V et VI. XENOPH. *Cyrop.* L. VII. cap. 5.
(13) Cl. HEEREN *Handb. der oude Staten* pag. 17.

Cyrum quiete domi esse mortuum; HERODOTUS L. I. c. 214. in bello contra Massagetas pugnantem interfectum ait, cui consentiunt JUSTINUS L. I. c. 8. et NEPOS *de Regibus* c. 1. — Ctesias tradit Cyrum bellum adversus Derbices suscepisse, et in proelio equo dejectum, ab Indo quodam vulnus femori inflictum accepisse, ex quo triduo post mortuus est. — AMMIANUS MARCELLINUS L. XXIII. Cyrum Bospori fretum cum multitudine fabulosa transgressum ad internecionem delevisse Tomyridem, Scytharum Reginam, scribit. — DIODORUS SICULUS L. II. pag 128. eum cruci affixum obiisse narrat. — JOANNES MALALA *Hist. Chron.* pag. 201. *ed. Oxon.* refert eum e proelio navali, cum Samiis commisso, fuga lapsum, et in domum reversum ibi fuisse interemtum. — LUCIANUS contra *in Macrob.* commemorat, domi eum obiisse centesimo aetatis anno. — Quam mortem itaque Cyrus obierit finiri a nemine horum potest, nam quae Herodotus habet, non facile cum Cyri prudentia, adeo veteribus celebrata, conciliari possunt. Minus etiam probabile est Cyrum, cum ad annum septuagesimum (14) pervenisset, exercitum in expeditionem educere voluisse. Accedit quod Alexan-

(14) CICERO *de Divin.* L. I. c. 23.

xander magnus apud Pasargadas Cyri sepulcrum, in quo conditum erat ejus corpus, invenit (15): quod tamen, si in manus truculentae istius Reginae Massagetarum incidisset, sepulcro redditum fuisse non verosimile est. Itaque Xenophonti potius quam caeteris fidem (16) habendam judico; nam caussas esse non video, cur hoc ita finxerit, et fortasse alios auctores secutus est (17).

Restat etiam grave discrimen, quod Xenophontis auctoritati magnopere repugnare videri possit. HERODOTUS nempe L. III. c. 1. Aegypti occupationem Cambysi adscribit post mortem Cyri: XENOPHON *Cyrop.* L. VIII. cap. 6. idem factum Cyro tribuit. De hoc discrimine ita nobis statuendum videtur, ut et Herodotus et Xenophon veritatem tradidisse dicatur; quamvis enim universa sententia Herodoti veritatem vindicet, erroris tamen ab.

(15) CURTIUS L. X. cap. 1. cui consentiunt ARRIANUS L. VI. pag. 271. ed. Gronov., STRABO et PLUTARCHUS. Conf. SIMSONII *Chron.* ibique nota Wesseling. pag. 673.

(16) Herodoti fidem vehementer defenderunt ALD. MANUTIUS, J. CAMERARIUS, H. STEPHANUS, viri et doctrina et judicii acumine valde insignes. Etiam fidem Herodoti a Plutarchi criminationibus liberavit ABBAS GEINOZIUS *in Mem. Acad. Inscript.* Tom. XIX. p. 115. etc.

(17) WESSELINGIUS *in Sims. Chron.* pag. 673. *Ad Herodotum* pag. 212. ed. Sweigh. VITRINGA *in Jesajam* c. 45. v. 2. pag. 494. in nota. HUTCHINS. *Diss.* I. pag. 53.

absolvetur Xenophon, si dicas Cambysem quidem expugnasse Aegyptum, sed, Cyro vivente, expeditionis initium suscepisse et post Cyri demum mortem huic finem imposuisse. Atque ita, si alteri quid demeris, alteri quid tribueris, uterque veritatem secutus esse videbitur.

Secundum argumentum eo redit, Xenophontem non recte Geographiam in opere suo adhibuisse. Hoc argumentum, ut jam diximus, tractavit SANCTO CRUCIUS.

Tertium argumentum, quo inprimis se commoveri ostendit MILLOTUS, *Hist. Univ.* T. I. pag. 152., ut fidem historicam Xenophonti negaret, petunt ex loco Anabasis L. III. Cap. 4. §. 5. ita se habente: *ταύτην βασιλεὺς ὁ* Περσῶν *ὅτε παρὰ* Μήδων *ἐλάμβανον τὴν ἀρχὴν* Πέρσαι *ἑλεῖν* etc. nempe quod a Medis ceperint imperium Persae. Xenophontis defensores jam ante comminiscebantur hic intelligendam esse Medorum Darii Hystaspis aut Darii Nothi tempore a Persis defectionem. Sed hoc non opus videtur. Cyrus, qui Cyaxari seu Dario Medo successit, Medorum dominos fecit Persas, quum ante Medi Persarum domini exstitissent. Itaque seditionem tunc movisse Medorum nonnullas urbes verosimile est, interque eas Larissam, de qua mentionem facit. Tunc Cyrus urbem expugnasse

se videtur et ita totam seditionem exstinxisse (18).

Etiam hoc afferunt, quod auctor, qui in reliquis scriptis maxima diligentia utitur, eam in hoc opere non ostendit. Nulla fere Regum, quos introducit, nomina posuit; verum a regionibus, quibus praefuerunt, nominat Ἴνδον, Ἀσσύριον etc. HUTCHINSONUS *Diss.* I. pag. 53 respondit: „Hinc quidem effeceris historiam esse minus perfectam, non vero historicum esse infidum." Opus vero historicum nulla re majorem amittere auctoritatem videtur quam si nulla inveniantur personarum seu urbium nomina (19). Atque hoc argumentum majorem accipit vim, si consideremus in Cyri expeditione atque historia Graeca Regum et Ducum nobiliorum propria nomina servasse Xenophontem. Ut autem non nimis stabili argumento usi fuisse videantur, dicendum, Xenophontem tamen personarum, quae praecipuas partes in Cyropaedia agunt, nomina tradidisse.

Praeterea Viri Docti hoc argumento utuntur: narrationis formam diversam esse ab ea, quae cernitur in historia Graeca et expeditione Cyri. Sed si-

(18) Conf Cl. TEN BRINK *Krijgs. van den jongen Cyrus*, pag. 181.

(19) Eodem fere argumento utitur NIEBUHRIUS in prima parte Hist. Romanae.

sicut Cyropaediae forma differt ab expeditione Cyri: sic forma in Cyri expeditione diversa est ab ea, quam adhibuit in Graeca historia. Quin etiam WYTTENBACHIUS *in praef. ad Sel. princ. hist.* pag. 13 dicit: „ Hellenica, opus quidem egregium, ut Xenophonteum et unicum de hoc argumento ex eadem aetate: sed scriptionis praestantia et ratione, nostro quidem sensu, impar duabus prioribus (nempe Cyropaediae et Anabysi). Ipsius narrationis, ut in illis duobus operibus est copia et vigor, ita in hoc subinde, nescio quomodo, exilitas et languor, nisi fere ubi de Agesilao et Spartanis agitur: porro elogia, qualia in Anabasi sunt Cyri et aliorum Ducum, hic non item. Quare saepe in eam cogitationem incidi, ut suspicarer, Xenophontem in hoc opere aut mere commentarios consignasse historiae postea ab ipso copiosius ac diligentius conscribendae, aut nulla sua praecipue animi sententia et voluptate ductum, suscepto Thucydideae historiae continuandae officio defungi voluisse. Nam haec una caussa, quod Spartanis magis quam reliquis Graecis favebat, non satis ad tantam scriptionis diversitatem valuisse videtur."

Inter alia hoc etiam commemoratu dignum referunt: quod Graecorum mores et instituta Persis Xenophon tribuerit: in quo hi non errasse viden-

tur. Etenim, ut unum tantum exemplum afferam, veritati historicae videtur contraria exercitus profectio nocturna *Cyrop.* L. V. c. 3. §. 52.; cum e Persarum more et religione, orto demum sole, castra moverentur. HEROD. L. VII. c. 54. CURTIUS L. III. c. 3. (21). Plura minoris momenti fortasse adsunt, quibus utuntur, ut fides Xenophonti negetur. Verum de praecipuis mentione jam facta, ea afferre minime opus esse putamus.

Inter eos autem, ut in dijudicanda Cyropaediae veritate pergamus, qui ad fidem historicam scriptam esse Cyropaediam Xenophonteam contendunt, fuit HARDTIUS, *in memoria Ximenii* pag. 5. sq. putans: „Herodotum esse fabulosissimum, Xenophontem vero esse historicum judiciosissimum, ex collatione historiae Cyri, ab utroque descriptae", quam sententiam adsumunt etiam BANIERIUS *in reflex. sur la Cyropaedie et sur l'histoire de Cyrus dans les Mem. de l'Acad. des Inscript. et Bell. Lett.* Tom. IX. pag. 1. USSERIUS *in Annalibus*, DUPINUS *in Biblioth. Univers.*, BOSSUETUS *in Hist. Univ.*, et PEZRONUS, MARSHAMUS, et quibus etiam annumerare lubet CARPENTERIUM, qui Francico sermone elegantissime et fidelissime est interpretatus, et cujus,

(21) Plura exempla attulit Cl. WEISKIUS *in Prol. ad Cyropaediam* pag. 89.

jus, nisi intercepissent fata, erudita haud dubie hoc de opusculo dissertatio exstitisset, quam se editurum pollicitus erat (22). — ROLLINUS *in Hist. Univ.* T. I. et ANGLI SCRIPTORES in *Hist. Univ.* Tom. IV. pag. 532. etiam credunt Cyropaediam ad veritatem historicam esse conscriptam. PRIDEAUXIUS *in Veteri et Novo Test. conjuncto.* pag. 125. fatetur: quaedam a Xenophonte quidem in Orationibus et colloquiis fuisse afficta: verum de iis, quae contigerunt, historicis factis veritatem ei secutus esse videtur ac talem Cyrum depinxisse, qualis fuerit. Eorum, qui ita de Cyropaedia judicarunt, argumenta quam cupidissime collegit TH. HUTCHINSONUS, qui omnem dedit operam, in *diss.* I. *de vita Cyri ex Cyropaedia*, ut Cyrum a Xenophonte historica fide expressum esse demonstraret.

Primo loco (23) opinatur vir doctus „Xenophontem, cum nomen ejus, ingenii, judicii et fidei laudibus celebre erat, noluisse, ut sibi videtur, opus aggredi, quod famam collectam non adeo aucturum erat, quam quidem imminueret." Ingenii etiam et judicii laudem magis etiam tueri poterat Xenophon Cy-

(22) MENAGIUS *in Observ. ad Diog. Laërt.* L. III. pag. 90. HUTCHINS. *Diss.* I. pag. 23.

(23) HUTCHINS *Diss.* I. pag. 40.

Cyro ad Romanticam formam effingendo, quam ad naturam exprimendo.

Porro existimat: „ cum non modo Cyri historiam se ex fide scripturum profiteatur, eum occasione optime uti potuisse, dum in aula Cyri Minoris versaretur." Hoc argumentum valde stabile arbitramur; nam constat, hanc occasionem prae Herodoto Xenophontem habuisse, cum ceteroquin fontes, ex quibus hauriebat, communes erant. Hanc sententiam etiam amplexus est ERNESTUS *de fide histor. recte aestimanda* §. 31. in *Opusc. Philolog. et Critic.*

Tertium argumentum ita se habet: „ ipse Cyri Persarumque gesta et instituta plenius atque seorsim exponit; ceteri historici strictim et in transitu attingunt." Hoc aliquid valere ad fidem Xenophonti comprobandam nemo facile affirmabit; nam contrariae sententiae fautores vicissim dicunt Xenophontem multa affinxisse, multa ex historia mutasse, atque ornasse.

„ Xenophontis narratio" sic pergit „ simplex est inaffectata, veritati et rationi congruens, cum contra ceterorum narrationes scateant insomniis, prodigiis, paradoxis, iis quae se mutuo evertunt, addita fabulosa etiam, ut ita dicam, θηριοτροφία (JUST. L. I. c. 4. conf. LIV. L. I. c. 4. *de Romuli et Remi expositione*); hi quippe Cyrum in obscuro loco educatum, in luce atque oculis Medorum ac Persa-

sarum magnum repente exstitisse tradunt. Praedicant etiam mite ejus ingenium atque virtutes, quibus Persis, quotquot fuerunt, antecellebat omnibus (HEROD. L. III. c. 89 et 100); eundemque mira quadam sententiae inconstantia ita se erga avum, erga Croesum, aliosque gerentem inducunt, ut impius, crudelis et vecors esse videatur." Omnino miras et quae veritati minime convenire videntur, traditiones habet Herodotus, v. g. de Cyri educatione, de animo erga Croesum: sed Herodotus narrabat, ut ab aliis acceperat (24); et Xenophon contra etiam quaedam affinxisse videtur, v. g. orationes, colloquia, et Graecos mores Persis tribuisse; atque in toto opere non Cyrus homo est sicut vulgo sunt, sed quales esse oportet.

„ Narratio ejus" et hoc argumentum tanquam stabilissimum proponit „ non tantum sensui mortalium communi consentanea est, sed gravissimum etiam ab insigni commodoque cum historia Sacra consensu confirmationem accipit." Quod veritati omnino congruens videtur, cum Xenophontis opus ab

(24) Et exprimit verbis λέγουσι, ἀπ' ἄλλῳ ἀκούω, ὁ δὲ μοὶ πιθάνωτατος λόγος. Judicium de eo paucis verbis tulit DIONYSIUS HALIC. *in Thucyd. hist. Judicio* pag. 3. ed. Sylburgii, quod inprimis conferri meretur: ubi Herodotus suae historiae adjunxisse commemoratur eas traditiones, quae ab aliis omissae erant.

ab historia Sacra confirmetur, et haec opere Xenophontis.

Vidimus itaque in utramque partem testimonia et argumenta; superest ut Virorum Doctorum testimonia recitemus, qui mediam viam ingressi sunt.

Heumannus in *Poecil.* Tom. II. pag. 5. credit „ Cyropaediam ad fidem historicam esse compositam, licet etiam credat insertas passim orationes et colloquia maximam partem deberi Xenophontis ingenio, imitati hic ceteros historicos. Peccasse autem videtur ei, quod non dixerit, ex quibus monumentis historiam Cyri depromserit. Licet hoc commune sit omnibus historicis."

Freretus omnem dedit operam ut Cyropaediam ad fidem historicam exigeret: itaque partim fidem Xenophonti negat, partim attribuit. Ejus conjecturas perscrutari, sicut et supra Sancto Crucii argumenta, longum est (25).

Sine partium studio de hoc opere judicat Ernestus in loco quem indicavimus, cum dicit: „ ac nescio, an inde stabilitatis aliquid accipiat, de Cyri historia, Xenophontis opus, majoremque Herodotea,

(25) *Memoires de l'Acad. des Inscript. et belles Lett.* Tom. IV. pag. 594. 595. 604. 605. 609. Tom. V. pag. 273. sq. Tom. VII. pag. 428. 433. 447. Tom. X. pag. 678. — Has autem partim examinat Sancto Crucius l. c.

tea, de eodem Cyro, narratione. Xenophon res Cyri in Asia gestas potuit accipere ab Ionibus Asiaticis, qui res Cyri non videntur ignorare potuisse, quod in illis regionibus aliquandiu vixerat. Sed hoc ei est cum Herodoto, vicinae Ioniae originis homine commune. Xenophontem autem potiorem facere videtur illud, quod constat eum familiarem Cyro Juniori, multisque illustribus Persis, ejus partes sequentibus, fuisse, a quibus multa de rebus ejus familiae discere potuit; forte etiam commentarios quosdam regios, quos diligenter confici solitos fuisse supra vidimus, accepit unde proficeret."

HEERENIUS, *Idearum* Vol. I., qui in Historia Persarum, Cyropaedia saepissime maximo cum judicio utitur, appellat „hoc opus unicum, quod a Graeco conscriptum, Orientale ingenium spirat. Imago Cyri plane effícta est ad imaginem Dsemschiti, Gystaspi, aliorumque in Asia celebratorum hominum. Ornatum non aliunde desumere potuit. Licet Cyrus in locis nonnullis saepius agat Philosophum Socraticum et Graecum Ducem, universum tamen opus, si cum judicio legatur, non minus utile est amantibus pulchri et venusti, quam veritatem historicam quaerentibus." — Idem HEERENIUS alibi putat „nos multa Cyropaediae loca melius esse intellecturos, si, quae de institutis Persarum et inprimis de communi educatione traduntur, accipia-

piamus non de omnibus Persis sed nobili Pasargadarum tribu (26)."

Recitavimus igitur Virorum Doctorum testimonia, ex quibus, praeter HEUMANNUM, ERNESTUM, HEERENIUM, apparet eos nimio partium studio ductos fuisse. Cum alter fidem historicam Xenophonti adscribat, alter plane negat. In argumentis perscrutandis ostendimus quaedam adesse, quae vel ad fidem comprobandam vel ad negandam nil valent. Quamvis temerarium videatur, nostram sententiam de hoc eximio opere adscribemus, nulli partium studio, ut speramus, addicti. Xenophon verus Socratis discipulus, Graeco more amans pulchri ac boni, non tam vitam, quam Cyri παιδείαν i. e. militarem disciplinam et instituta publica descripsisse videtur, et ubi eum maximis afficere potest honoribus, magis pulchri bonique amorem quam veritatem est secutus. Itaque vera historia ab ipso ornata videtur additamentis iis, quae vel ad Cyri laudem pertinebant, vel suavitatis caussa, v. g. orationes et colloquia, ex ingenio illius profluxere. In animadvertenda Cyri temporum historia maximae auctoritatis illud opus esse nobis videtur: quod exemplo illustrare non supervacaneum judicamus. Apud

(26) Conf. BECK *Algem. Weltgesch.* Th. I. Absn. 2. HAMELSVELD *Algem. Hist.* pag. 82.

Apud DANIELEM traduntur ea, ad quae recte cognoscenda magnopere valet Cyropaedia. Babylonis enim expugnatio commemoratur et a DANIELE et ab HERODOTO; de nomine illius, qui tunc regno praeërat, inter eos magna exstat differentia; imo etiam diversum nomen tradunt ejus, qui post expugnationem regnum susceperit, ille nempe Darium Medum accepisse tradit, hic Cyrum Babyloniae regnum suis provinciis statim adjecisse affirmat (27). Jam, si Xenophontis Cyropaediam non haberemus, nonne obscuritate maxima hae res obvolutae essent? Si Xenophontem adeamus, statim animadvertimus re vera factam esse Babylonis obsidionem, quia omnes res, etiam parvas, annotat: et, quamvis ejus narratio diversa sit ab Herodotea, tamen cum Sacris Litteris convenit. Herodotus Regis ultimi Babyloniorum Labyneti exitum non commemorat. Beroso auctore (28), non vita priva-

(27) DANIEL VI. HEROD. L. I. c. 191 et 201. XENOPH. *Cyrop.* L. I. c. 5. §. 2. et L. VII. c. 5.

(28) JOSEPHUS *Contra Apionem*, L. I. c. 20. Plerique etenim ἐκ τῆς αὐτῆς ἐπιστάσεως *ex eadem seditione* significare putant. SEWELL. autem vertit *ab eadem origine*: quod melius mihi videtur; quum nempe alio loco dicit, *Ant. Judaic.* L. X. c. 12, Labosoarchadae filium Belsazarum apud alios vocari Noboandelum sive Nabonnidum. RODENBURG autem in opere *Onderzoek betreffende Belsazar en de vermeesteriug van het Babylonische rijk*, quod est in *Bydr. tot de beoeff. der Godg. Wetensch.* VI. Deel. I. Stuk. bl. 660., putat Belsazarum fuisse parvi pretii Regem, cui re vera imperabat Na-

vatus est Nabonnedus, qui, longe ante, seditione regnum acceperat: verum a Cyro Satrapia Carmania ei data est: itaque in illo magis amicum quam victorem egit. Et quum ita scriptores inter se dissentiunt, solus Xenophon cum Sacris historicis Regis mortem narrat (29).

Sic in Babylonici regni occupationem pervenisse Darium Medum tradit DANIEL c. VI., a quo omnes scriptores veteres, praeter Xenophontem, abhorrent. Narrat nempe Xenophon post ultimum Babyloniorum Regem accepisse regnum Cyaxarem, qui idem fuisse videtur atque Danielis Darius Medus (30); cum secundum Xenophontem et Danielem ei successerit Cyrus. Itaque Xenophontis luce ducimur in viam; et ei debemus quod ea pars historiae illustratur. Ita et in aliis egit Xenophon. Verum orationes, colloquia, et quae sunt hujus generis plura, haud dubie ab ejus ingenio profecta sunt. HUTCHINSONUS etiam ipse, ille Xenophontis defensor, fatetur (31): „multa ab ejus ingenio profecta es-

Nabonadius ejus Dux. Idem statuerunt SCHUTTE *Byb. Hist.* II. Deel. pag. 406. et VAN LIS *Leerred. over Daniel V.* bl. 4. Sed haec conjectura est. Belsazarum etenim eundem fuisse ac Nabonnedem constat. JOSEPH. *Ant. Judaic.* L. X. c. 12. ROOIJAARDS op. cit. pag. 114 sq.

(29) XENOPHON L. VII. c. 5. DANIEL V.

(30) ROOIJAARDS op. cit. pag. 120 sq. MUNTINGHE op. cit. VIII. Deel. pag. 30.

(31) HUTCHINS, *Diss.* I. p. 54.

esse quod ad sermonis attinet commercia: quae Cyro puero intercessere cum avo Astyage, cum Cambyse patre, cum Armenio Rege ejusque filio Tigrane, cum Gobrya, Gadata, Croeso, praefectis exercitus, et quae sunt plura": et praeterea Socratis disciplinam philosophicam non uno in loco attigit (32). Videmus itaque non ubique fidem historicam servasse Xenophontem: et hoc non tantummodo pertinet ad ea, quae de Cyro memoriae sunt prodita, verum etiam ad alia. Concedo Cyrum in hoc opere primas et praecipuas partes agere; sed Xenophon plurima admiscere debuit, de quorum fide recentiores paulo iniquius judicasse existimo.

Huc quum etiam pertinere vita Croesi videatur, qui post Cyrum altera fere in Cyropaedia est persona, vitam Croesi, quam Xenophon in Cyropaedia tradidit, ad fidem historicam exigere constitui; arbitrans, universae Cyropaediae tractationem et esse ampliorem et viribus mei ingenii et doctrinae majorem.

Hunc

(32) XENOPH. *Cyrop.* L. I. cap. 3. §. 1. ubi XENOPHON dicit audivisse Astyagem Cyrum *καλὸν κἀγαθὸν* esse; quo dicto significare vult omnibus excellentibus virtutibus et corporis et mentis praeditum fuisse Cyrum. — L. II. Cap. I. §. 20 sq.: ubi studia contentionum honestarum excitat, milites admonet ut honesti fiant; ut, praemiis propositis, studia contentionum honestarum amplectantur; ut uno verbo *καλοὶκἀγαθοὶ* evadant: ceteraque. — Egregiam, Socratico more, disputationem de Amore tradit XENOPHON *Cyrop.* L. V. Cap. I. quacum conf. Locus PLUTARCHI *de Curiositate*, Vol. VIII. pag. 71.

Hunc libellum descripsimus in tria capita:

Capite I. Croesi vitam, ex Cyropaedia haustam, trademus.

Capite II. Aliorum scriptorum testimonia afferemus, et veritatem judicabimus.

Capite III. ostendemus nihil esse in vita Croesi, etiamsi Graeca elegantia ornatum, ex quo appareat Xenophontem aliquid in hac vita finxisse.

Et jam sic finis esse posset huic Introductioni, nisi pietas et officium postularent, ut eos publice compellarem, qui de me meisque studiis optime meriti sunt. In eo enim Divinam agnosco Providentiam, quod cum puero teneram matrem, vix juveni optimum patrem dira mors eripuerat, tales mihi contigerint Praeceptores, quales contigisse mihi glorior.

Inprimis TU mihi nominandus es Doctissime DE LA SABLONIÈRE, Scholae Haganae Praeceptor, qui mihi, cum in TUAM domesticam disciplinam traditus eram, optime dedisti praecepta, cum ad mores regendos, tum ad studia promovenda. Pro hisce TUIS erga me meritis omnia, TIBI eveniant, Deum precor, quam felicissima!

Ex TUA egregia disciplina profectus, institutionem Scholasticam nactus sum Virorum Doctissimorum DORN-SEIFFEN et NYHOFF, quorum nomina

cum

cum grata pueritiae recordatione nomino. Vos in me Viri Doctissimi eum incendistis discendi amorem, quo brevi eo veni, ut Clarissimorum in Academia Virorum lectionibus haud sine fructu interesse possem. Postquam per trium annorum spatium optimum, quoad fieri potuit, ex VESTRA disciplina fructum in me redundasse existimabatis, puerum adhuc me detulistis in Academiam Leidensem, ubi Praeceptores habui egregios Viros TYDEMANNUM *patrem*, BAKIUM et PEERLKAMPIUM.

Ex his TE TYDEMANNE! cum etiam, licet senex, et aliis et mihi utilis eras, mors eripuit. Si quis Manium est sensus et humana curas, scito TUORUM me beneficiorum non esse immemorem!

Nec minus me TIBI debere agnosco Clarissime BAKE! per triennium enim quod TUIS lectionibus interfui, intellexi, quantum accurata et elegans Veterum interpretatio cum ad pulchri honestique sensum excitandum, tum ad ingenium acuendum valeret.

Praeterea ex TUIS consiliis Clarissime PEERLKAMP! me plurimum profecisse gratus profiteor. Temporis augustiae prohibuerunt, quominus publicis TUIS lectionibus interessem: compensarunt hoc privati TUI sermones, ex quibus me doctiorem semper et literarum amantiorem discessisse laetus agnosco. TIBI, pro omnibus consiliis monitisque

cum in conscribenda hacce dissertatione, tum in reliqua studiorum parte regenda, amice mihi concessis, gratias agens, Deum precor, ut TE TUOSQUE Collegas aestumatissimos servet in aeternum literarum, hujusque Academiae emolumentum!

Nec VESTRUM hoc tempore immemor sum, commilitones amicissimi! quibuscum in hac Academia consuetudinem habui, quique mecum COLLEGII STUDIIS CONSECRATI sodalitate conjuncti fuistis: pro amicitia VESTRA, quam sinceram expertus sum, gratias sinceras accipite, persuasumque VOBIS habete, tristissimum mihi esse dicere *Valete.*

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

DE VITA CROESI, SECUNDUM XENOPHONTEM DESCRIPTA.

Croesus, patre mortuo, Lydorum imperium accepit. In hoc viro apparuit veram felicitatem non in divitiis esse sitam. Nam immensae regioni imperans, omnibusque rebus affluens, neque minus in vita quam victu splendidus, plura tamen desiderabat. Eratque illi magno dolori, quod nullos liberos procrearat; itaque, prius periculo facto an vera responderet Delphicum Oraculum (1), consentiente uxore, delecti Delphos deliberatum missi sunt, qui de hac re Apollinem consulerent. Primum ne respondit quidem Pythia. Verum postquam complura donaria, partim aurea, partim argentea Dei pla-

(1) Cyrop. L. VII. c. II. §. 17 et 18.

placandi caussa miserat, consulentibus dictum Pythia retulit: Croesum aliquando liberos esse procreaturum (2). Quod ita evenit: nati sunt liberi, quorum alter mutus fuit, alter in aetatis flore periit (3). His itaque calamitatibus fractus, iterum legatos ad Apollinem misit, qui rogarent, quid Croesum facere oporteret, ut reliquum vitae spatium exigere quam felicissime posset. Responsum est a Deo: ubi te ipsum cognoveris, o Croese! vives beatus; quo audito gavisus, sibi omnem felicitatem a Deo tribui existimavit: illud enim, se ipsum cognoscere, esse facillimum. Et omne tempus, postquam accepisset gravissimum vulnus morte filii, quiete vixit, et fortuna satis prospera usus est (4). Sed eadem fortuna sua mobilitate, quem paullo ante extulerat, demergere est adorta. Accidit etenim, ut Assyriorum Rex legatos ad Croesum, reliquosque Asiae Minoris Principes mitteret, eo consilio, ut societatem contra Persas inirent (5). Ea fuit Croeso infelicissima. Metuebat Assyrius, ne Persae subigerent Asiam: erant enim Persae et Medi gentes viribus firmae, nulla libidine effoeminatae, et affinitatibus mutuis divinc-

tae

(2) Cyrop. L. VII. c. II. §. 19.
(3) Cyrop. L. VII. c. II. §. 20.
(4) Cyrop. L. VII. c. II. §. 21 et 22.
(5) Cyrop. L. I. c. V. §. 3. L. II. c. I. §. 5.

tae (6). Quae secum cogitans, bello Persas aggredi etiam ex re sua esse putavit Lydus. Maximo studio itaque comparatur exercitus. Nam subito hostes aggredi volebat. Exercitu suffragium ferente, summus Imperator creatus est Assyriorum Rex. Tendunt autem Lydorum copiae in Mediae fines, et se prius cum aliis conjungunt, inque agrum Assyrium veniunt, quam Cyrus cogitaret. Cyrus autem, Persarum exercitu collecto, tanta celeritate usus est, ut subito in conspectum hostium veniret; mirabili etenim pugnandi cupiditate flagrabat. Assyrius contra, copiarum suarum numero fretus, confligere etiam quam primum cupiebat. Castris in regionum fere finibus positis (7) proelium committitur. Acerrimo concursu magnam partem diei pugnatur: cadit Assyrius; et tanto plus virtute valuerunt Persae, ut immensum hostium numerum profligarent, adeoque perterrerent, ut non castra, sed regionem quisque suam peterent (8). In fugientibus erat Croesus, qui jam ante mulieres noctu curribus praemiserat, quoniam aestatis tempus erat: ipse cum equitatu eos sequens. Domum reversus, statim novam expeditionem, parat, cui se adjungunt so-

(6) Cyrop. L. I. c. V. §. 3.
(7) Cyrop. L. III. c. III. §. 22—29.
(8) Cyrop. L. III. c. III. §. 56—70. L. IV. c. I. §. 8.

sociorum auxilia. Assyrio interfecto, exercitus summam imperii ad Croesum detulit. Prope Pactolum flumen Lydias contraxit copias, Thymbrara iter facturus. Ab Ionibus Asiaticis interea auxilia petiit; ab Aegyptiis, Cypriis et Arabibus etiam perpetravit; Graecos Asiam incolentes ad bellum coëgit; Thraces, Lycaonas et Phoenices in societatem adscivit; de illa ineunda Lacedaemonem legatos misit (9). Cyrus se Thymbrara etiam convertit, in Lydos impetum facturus. Denuo grave proelium committitur: in quo pari fortuna usi sunt Assyrii; nam quamvis Cyri milites, ab hostibus cincti, magnopere premerentur, acrius etiam institerunt, magnamque stragem fecerunt. Equitatus autem, quo plus valebant Lydi, Camelorum metu a Persis fugatur (10). Sardes plurimi confugerunt. Proelio itaque hostium fuga finito, Cyrus copias Sardes ducit, quo Croesus se recepisset. Persae circumdant urbem, operibus claudunt, omnique commeatu privant: porro machinis constitutis et scalis appositis, propius muros accedunt. Sed captae non fuissent Sardes, nisi dolus accessisset. Ea nempe parte, qua difficillimus erat aditus, Persa quidam, qui olim in arce servus fuerat, adscendit:

(9) Cyrop. L. IV. c. II. §. 29. L. VI. c. II. §. 9—11.
(10) Cyrop. L. VII. c. I. §. 23—28.

dit: eum alii sequuntur; qui sine vi arcis maximam partem ceperunt, quo viso Lydi fugiunt et Persae urbem intrant. Croesus se ipsum intra regiam occludit. Urbem pervagantes milites, in regiam quoque irrupere, quos videns Croesus Cyrum inclamabat. Cyrus interim adveniens, Croeso custodes apposuit, et edictum publicari jussit, ne milites urbem depopularentur (11). Per pleraque loca praesidiis dispositis, Croesum ad se advocavit. Qui in conspectum illius veniens, Salve, inquit, o domine! nam id nomen fortuna tibi tribuit, quo te compellarem; cui Cyrus: Salve etiam Croese! nam ambo sumus homines. Deinde consilium ab eo petit de urbis direptione, quo audito Croesus omnem dedit operam, ut victorem ab ea sententia deduceret. Nam si urbi parceretur, nec conjuges, nec liberi in servitutem abducerentur, fore ut Lydi lubentes Cyro offerrent, quidquid Sardibus pulchrum et splendidum contineretur. Si autem urbs diriperetur, et bona et artificia, quae bonorum fontes sunt, perirent. Magnam interea, de qua fama jam ante exiisset, pecuniam, a Croeso traditam, custodum fidei credit Cyrus (12). Tum rursus Cyrum inter et Croesum sermo oritur de ora-

(11) Cyrop. L. VII. c. II. §. 1—8.
(12) Cyrop. L. VII. c. II. §. 8—14.

Oraculorum responsis, quae Cyro perscrutanti omnia exponit Croesus, magnopere se ipsum pudere imprudentiae affirmans, quod Cyrum armis aggressus esset (13). Videns hanc animi magnitudinem Cyrus, et pristinam illius felicitatem recordans, cupiensque talem virum sibi conciliari, regio vere modo egit. Libertatem non solum, verum etiam conjugem, filios, amicos, servos et victum solitum concessit; omni autem potestate privavit. Cyri erga se benevolentiam videns, magnopere laetatus est; nam fortunae mobilitatem cognoverat, et sibi persuasum habebat, vitam privatam longe esse optimam; cujus rei exemplum affert suam ipsius conjugem, quae omnium rerum laetarum, non vero curarum particeps fuisset. Rebus Lydiae ordinatis, una cum Croeso proficiscitur Cyrus, et paucorum dierum itinere facto, Ecbatana perveniunt. Habuit eum Cyrus deinde in comitatu suo et magnopere utilem sibi esse arbitrabatur, simul metu liberatus, ne quando res novas moliretur (14). Croesus saepe consilium Persarum Regi dedit; quum milites aliquando magnis muneribus a Cyro donati essent, et praeterea Duces non minora consequerentur, etiam auctor fuit ne nimis li-

(13) Cyrop. L. VII. c. II. §. 15—25.
(14) Cyrop. L. VII. c. II. §. 26—29.

liberalis esset: nam absurdum putabat aliquem pauperem esse, quum ditissimus esse posset propter frequentes reportatas victorias, potestatemque summam, quae ei a fortuna dantur (15).

(15) Cyrop. L. VIII. c. II. §. 15.

CAPUT SECUNDUM.

DE VITA CROESI, A XENOPHONTE DESCRIPTA, CUM NARRATIONE ALIORUM HISTORICORUM COMPARATA.

§. 1.

De iis, in quibus Xenophon a reliquis differt.

Croesum, Lydorum Regem, a Cyro regno exutum fuisse omnes memorant: Lydiam post ipsum Persici regni provinciis adjectam omnes consentiunt. In hoc autem bello, Cyrum inter et Croesum gesto, magnus exstat dissensus: major etiam inter historicos contentio de Cyri erga captivum Croesum voluntate. In legenda Croesi historia inprimis Xenophontis simplicitatem et suavitatem sumus admira-

rati: majori etiam delectatione Croesi constantiam, Cyri humanitatem observavimus, ea cogitantes nugatoria, quae HERODOTUS, CTESIAS ceterique habent de rogo, in quo posuerant Croesum: de divino prodigio, quo vinculis liberatus est, aliaque multa. Quum itaque XENOPHON ea tradidisse videatur, quae et cum natura humana et ingenio Orientalium magis convenirent, eum in Croesi historia ducem secuti sumus; et ceterorum scriptorum cum XENOPHONTE diligenter comparatis locis, de hujus veritate dubitare ausi non sumus. Quod quare fecerimus, ita ostendemus, ut primum *videamus ea, quae Xenophon tradit, ab aliorum scriptorum narrationibus diversa.*

Quum omnibus, quae paucis hominibus contingere viderentur, abundaret Croesus, tamen aliud rursus, nemo etenim omnia, quae cupit, assequitur, felicitati deësse videbatur; nullos etenim procrearat liberos. Ideo Oraculum consulere decrevit. Antea tamen sibi persuasum habere voluit, Delphicum Oraculum spem interrogantis non fallere. Quum autem hoc egisset, iterum misit legatos, qui de liberorum procreatione consulerent. Iis autem primum ne respondit Pythia. Verum, postquam plurima donaria Deo donasset, responsum accepit, ipsum aliquando liberos procreaturum esse. Quod eventu probatum est. Duo etenim nati sunt, quorum

rum alter mutus fuit, alter in aetatis flore periit. Carissimi filii morte fractus, iterum ad Oraculum consulendum misit, qui rogarent, quid faciendum sibi esset, ut reliquum vitae tempus feliciter degeret et Croeso respondisse fertur:

Σαυτὸν γιγνώσκων, εὐδαίμων Κροῖσε περάσεις.
Ipsum te noscens, vives, o Croese, beatus.

Quum autem deinde accideret, ut Assyriorum Rex ad Croesum aliosque tum Asiae minoris, tum Aegypti Reges mitteret de societate ineunda, laetus hanc Croesus accepit, quum videret Persas et Medos gentes fortes et strenuas esse (1). Bellum itaque geritur. Et copiis comparatis Assyrius dux creatur, in eoque exercitu Croesus cum Lydis fuit. In

(1) Persas nulla libidine effoeminatas, sed bellicosam Cyri tempore fuisse nationem tum testatur XENOPHON (v. g. *Cyrop.* L. III. c. III. §. 56 sq. L. IV. c. II. §. 21 sq. L. VII. c. 1.). tum ceteri (v. g. HEROD. L. I. c. 125—128. JUSTINUS L. I. c. 7.) Habitabant parvam et montosam regionem, nihil habentes, quam quae ad vitam necessaria erant. Cyri temporibus propositum fuit consilium illam regionem deserere et in fructuosos agros se conferre. Verum hoc Cyrus prohibuit, sciens, si succederet, bellicam virtutem amissuros Persas. Ad omne molestiarum genus tolerandum et frigus apti erant; imo pleraeque stirpes ab initio Nomadum vita utebantur. PLATO *de Legibus* L. III. pag. 695. HERODOTUS L. IX. c. 122. ARRIANUS L. V. c. 4. HEROD. L. I. c. 125 et 71: ubi Sandanis Croeso utile consilium invenitur.

In finibus Assyriae, castris positis, acies instruitur: in quo Persae hostium exercitum fugarunt, et Assyriorum Regem occiderunt. Fuga se recepit Croesus in Lydiam, mulieribus in carpentis praemissis; ibi novum exercitum comparare studet, cui se adjungunt reliquorum auxilia. Omnium suffragiis, Assyrii loco, Dux eligitur Croesus, qui prope Pactolum fluvium exercitum congregat. A Graecis Asiaticis, ut et ab aliis, etiam auxilia petit; eandem ob caussam mittit Lacedaemonem. A Pactolo fluvio Thymbrara iter faciens, ibi secundum proelium commisit, in quo exercitus illius denuo cladem accipit. Camelis etenim immissis fugatur equitatus; quo facto Croesus petit Sardes; quae urbs obsidione a Persis clausa, et ab omni commeatu privata, tamen armorum vi non facile in hostium potestatem venisset. Sed Persa quidam, qui cujusdam in arce custodis praesidiarii servus fuerat, ea parte, qua difficillimus erat aditus, adscendit: plures sequuntur, et ita urbs Persis paruit. Urbe capta, intra regiam se occludit Croesus, metuens nempe, ne ipse a militibus irruentibus trucidaretur. Cyrum tamen, vitae servandae gratia, inclamabat, qui ad Croesum venit, et ei custodes reliquit. Deinde Croesum ad se adduci jussit, et, facta inter se invicem salutatione, Cy-

ro petenti, de urbe non diripienda, consilium dat Croesus, qui etiam omnia pretiosa Cyro tanquam domino tradidit. Fatetur Croesus suam imprudentiam, qui Cyrum armis aggressus sit. Putarat nempe, postquam Oraculi Delphici responsum audivisset: *ubi te ipsum cognoveris, vives o Croese beatus*, facillimum esse se ipsum cognoscere. Itaque et de hoc et de aliis Cyro exposuit Oraculi responsa. Regio vere modo erga Croesum egit Cyrus; libertatem et solitam vivendi rationem concessit; quo audito Croesus gaudio afficitur; nam nunc sibi persuasum habebat private degere multo melius esse. Croesum habuit porro secum Cyrus, cui optime consuluit Croesus, et utilis fuit.

§. 2.

Herodoti aliorumque narrationes, quae vel a Xenophonte differunt, vel ab ipso sunt praetermissae.

EX HERODOTO.

Croesus patri Alyatti in Lydorum imperio successit (2). Vix regnum acceperat, quum exercitu

(2) HEROD. L. I. c. 26 sq. Habuit Alyattes duos filios Croesum et Pantaleontem, hunc ex Ionica, alterum ex Caria uxore natum. Unus

tu congregato Ephesum expugnaret: et, hac urbe occupata, victoriarum cursum sequens, usque ad Halym fluvium Lydorum dominationi Asiae populos subjecit. Cum Insulanis hospitium contraxit, quos aggredi primum quidem in mente habuit; ab hoc autem bello eum deterruit Biantis Prienii consilium (3). Quum ita magnopere regnum extendisset, et opulentia abundaret, accidit ut Solon, Atheniensium nobilis legislator, atque septem Sapientium unus, in itinere suo etiam Sardes veniret, ubi a Croeso amice excipiebatur, sperante nempe, nil aliud ex ore ejus profecturum nisi quod ad suas laudes pertineret. Externam felicitatem

Unus e Lydorum nobilibus Croeso in republica fuit adversarius, Lydorum regnum Pantaleonti conciliare studens. Postquam autem imperio potitus esset Croesus, illum hominem tribulis cruciatum necavit; et bona ejus Diis dicata sunt. HEROD. L. I. c. 92. — Imperio suo, ad Halym fluvio extenso, subjecti erant Lydi, Phryges, Mysi, Marianduni, Chalybes, Paphlagones, Thraces, nempe Thyni et Bithyni, Cares, Iones, Dores, Aeolenses, Pamphyli. HEROD. L. I. c. 28. — Fuit e stirpe Mermnadarum. Stirpes, ex quibus Lydiae Reges ortum duxerunt, tres fuerunt. Atyadarum, Heraclidarum et Mermnadarum. Mermnadarum series, ut addam, ita fuit Gyges, qui 38, Ardys, qui 49, Sadyattes, qui 12, Alyattes qui 57, et Croesus qui 14 annos regnarunt. HEROD. L. I. c. 7. 86. sq. Conf. Cl. HEEREN *Handb.* pag. 70 et Cl. DUMBECK *Tab. Chron.* pag. 8. Conf. etiam Vir Ampliss. J. TER PELKWYK in opere, cui titulus: *Tydrekenkundige Verhandeling* enz. pag. 194.

(3) HEROD. L. I. c. 26 et 27. — Conf. etiam AELIANUS *Var. Hist.* Lib. III. c. 26. ubi Ephesi obsidionem a Croeso factam narrat et Ioniae occupationem.

tem ei ostendit Croesus, omnes aedes et thesauros. Croeso sciscitanti quem omnium hominum beatissimum judicaret, respondisse Philosophum dicunt: Tellum Atheniensem, qui optime de republica meritus, et prolem nactus honestam, pro patria pulcherrimam mortem oppetiit. Hoc responso minime gavisus, quemnam secundum putaret felicissimum, rogat; cui respondit Solon: Cleobin et Bitonem, qui, quum festus dies Junoni ageretur, matrem, urgente hora et bobus, qui currum veherent, morantibus, ipsi traxerunt, quibus defessi, eodem die mortui sunt. Tunc de vera felicitate locutus, dicit Solon neminem ante mortem beatum esse. Haec ostendere conantem nec munere ullo donavit, et nullam ejus rationem habens a se dimisit, inscitum admodum esse hominem ratus, qui praesentia bona omittens, finem cujusque rei juberet respicere; atque ita Solon ab ejus aula profectus est (4).

Post Solonis discessum Croeso dormienti apparuit somnium, significans, mala ipsi aeque atque aliis hominibus patienda esse. Duo fuerunt filii, alter mutus, alter aequalibus suis longe antecellens. Hunc in somnio videt ferrea cuspide vulneratum et mortuum. Itaque a sopore experrectus, om-

(4) Herod. L. I. c. 29—33.

omnem dedit operam, ut hanc calamitatem evitaret. Ei uxorem dedit et ab omni militari negotio amovit. Veruntamen evenit quod metuerat. Aper in Mysia erat permagnus, ad quem tollendum rogabant Mysi, ut delectos juvenes et canes, filio duce, mitteret. Primum quidem de somnio cogitavit; sed et Mysorum et filii ipsius precibus cessit. Filio autem custodem dedit Adrastum, qui e Phrygia, fratre interemto, Sardes fugerat et a Croeso hospitaliter exceptus erat. Miserrimo fato tamen occiditur filius ab ipso Adrasto, per imprudentiam, apri loco, telo percussus (5). — De mn-

(5) HEROD. L. I. c. 34—44. — VALERIUS MAXIMUS in hoc secutus est Herodotum: L. I. c. 7. Ex. 4. Efficax et illa quietis imago, quae Croesi Regis animum maximo prius metu, deinde etiam dolore confecit. Nam e duobus filiis et ingenti agilitate et corporis dotibus praestantiorem, imperiique successioni destinatum Atym, existimavit ferro sibi ereptum. Itaque quidquid ad evitandam denuntiatae cladis acerbitatem pertinebat, nulla ex parte patria cura cessavit avertere. Solitus erat juvenis ad bella gerenda mitti, domi retentus est. Habebat armamentarium omnis generis telonem copia refertum: id quoque amovere jussit. Gladio cinctis comitibus utebatur: vetiti sunt propius accedere: necessitas tamen aditum luctui dedit. Cum enim magnitudinis ingentis aper Olympi montis culta et crebra cum agrestium strage vastaret, inusitatoque malo regium esset imploratum auxilium: filius a patre extorsit, ut ad eum opprimendum mitteretur: eo quidem facilius, quod non dentis, sed ferri saevitia in metu reponebatur. Verum dum acri studio interficiendi suem omnes sunt intenti, pertinax casus imminentis violentiae, lanceam petendae ferae gratia missam in eum detorsit: et quidem eam potissimum dextram nefariae caedes crimine voluit adspergi, cui tutela filii a patre manda-

muti filii emendando vitio Oraculum consulens, hoc responsum accepit:

Λυδὲ γένος, πολλῶν βασιλεῦ, μέγα νήπιε Κροῖσε,
Μὴ βούλευ πολύευκτον ἰὴν ἀνὰ δώματ' ἀκούειν
Παιδὸς φθεγγομένου· τὸ δὲ σοὶ πολὺ λώϊον ἀμφὶς
'Εμμεναι· αὐδήσει γὰρ ἐν ἤματι πρῶτον ἀνόλβῳ.

Lyde genus, Rex multorum, valde inscie Croese,
Ne cura gnati exoptatam audisse loquentis
Intra aedes vocem; sine qua melius tibi longe:
Ille die quoniam primum infelice loquetur (6).

Quum autem Cyrum regno privasse avum et Persarum opes magnopere crevisse audiret, in magno metu fuit; verens, ne ad Lydiam quoque animum advertetet; et inprimis aegre ferens, Astyagem a suo ipsius nepote subjectum teneri; inprimis quum Astyagi affinis esset Croesus. Nam Astyages in matrimonium habuit Aryenin Alyattis filiam Croesi sororem. Rem tanti momenti priusquam aggrederetur, Oraculum tentare decrevit. Sed prius, an Oraculum vera responderet, exploravit. Misit delectos, qui varia Oracula uno eodemque die rogarent,

data erat: quam quidem Croesus imprudentis homicidii sanguine violatam, hospitales veritus Deos, supplicem sacrificio expiavit.

(6) Herod. L. I. c. 85.

rent, quid Croesus eo die faceret. Pythiae autem responsum hoc fuit:

Οἶδα δ' ἐγὼ ψάμμου τ' ἀριθμὸν καὶ μέτρα θαλάσσης.
Καὶ κωφοῦ συνίημι, καὶ οὐ φωνεῦντος ἀκούω.
Ὀδμή μ' ἐς φρένας ἦλθε κραταιρίνοιο χελώνης
Ἑψομένης ἐν χαλκῷ ἅμ' ἀρνείοισι κρέεσσι,
Ἧ χαλκὸς μὲν ὑπέστρωται, χαλκὸν δ' ἐπιέσται.

Aequoris est spatium et numerus mihi notus arenae,
Mutum percipio, fantis nihil audio vocem.
Venit ad hos sensus nidor testudinis acris
Quae simul agnina coquitur cum carne lebete,
Aere infra strato, et stratum cui desuper aes est.

Quo responso audito, fide et veritate oraculi perspecta, magnopere Deum veneratus est; et dona in Apollinis templo dedicavit post hominum memoriam splendidissima. Coxerat etenim, remotis testibus, in lebete aheno, cui ahenum operculum erat impositum, testudinem et agnum in frusta dissectum (7). Mittit itaque porro Delphos, qui quaererent: an Persis esset bellum inferendum, et quinam populi in hujus belli societate essent adsciscendi? quibus respondit Pythia ἢν στρατεύηται ἐπὶ Πέρσας μεγάλην ἀρχήν μιν καταλῦσαι: si in Persas

(7) HEROD. L. I. c. 46 — 51. 74 et 92.

sas bellum gereret, magnum illum imperium eversurum esse: deque sociis dictum retulit: *τοὺς δὲ Ἑλλήνων δυνατωτάτους συνεβούλευόν οἱ ἐξευρόντα φίλους προσθέσθαι*: quos Graecorum comperisset potentissimos, eos adjungendos esse. In suum commodum interpretatur hoc responsum et se Persarum imperium eversurum esse jactat (8). Denuo, multis iterum donatis, Oraculum adit de diuturnitate sui imperii consulturus: ad haec:

Ἀλλ' ὅταν ἡμίονος βασιλεὺς Μήδοισι γένηται,
Καὶ τότε, Λυδὲ ποδαβρὲ, πολυψήφιδα παρ' Ἕρμον
Φεύγειν, μηδέ μένειν, μήδ' αἰδεῖσθαι κακὸς εἶναι.

Regis apud Medos mulo jam sede potito,
Lyde, fugam mollis, scruposum corripe ad Hermum,
Neve mane: ignavus posito sis, Lyde, pudore.

Hoc vaticinio multo magis incitatus, elato animo bellum parat (9). Fuit autem e Lydis quidam, Sandanis nomine, qui bellum dissuadebat, inprimis dicens, Persas asperam et sterilem habere regionem; neque alia proferre, quam quae ad victum quotidianum necessaria erant, cum contra Lydi divitiis abundarent; si vicisset, quid iis adimeret; si vic-

(8) Herod. L. I. c. 53 et 54. 75.
(9) Herod. L. I. c. 55 et 56.

victus esset, quot bona amitteret (10). Croesus, hujus monitis non obtemperans, copia belli gerendi caussa colligit, et, Halye fluvio trajecto (11), Cappadociam invadit, quae statim Croeso parebat. Plerasque etenim urbes sine magna armorum vi cepit: urbem Pteriam obsidione expugnavit et diripuit: et ibi castra sunt posita. Cyrus autem, coacto suo exercitu, et omnibus, qui arma gerentes prope aderant, secum sumtis, etiam Pteriam tendit, legatos ad Iones Asiaticos, ut deficerent, praemittens. Apud Pteriam itaque, acie e regione instructa, grave proelium committitur, in quo aequo Marte pugnarunt, et non prius discesserunt, quam nox ingrueret. Croesus, cujus exercitus Persico multo minor fuit, lente in Lydiam revertitur, novas copias colligere studens, et caduceatores ad socios mittens, ut quinto mense Sardes convenirent. Jam ante enim foedus inierat cum Labyneto Babyloniorum et Amasi Aegyptiorum Rege. De eadem re etiam Lacedaemonem miserat, qui so-

cie-

(10) HEROD. L. I. c. 71.

(11) Pontibus ibi sitis, *ὡς μὲν ἐγὼ λέγω* ut addit HERODOTUS L. I. c. 75. Ipse itaque sentit, alterum trajectionis modum, quem confirmare videtur FRONTINUS *Strategematum*, L. I. c. 5. his verbis: „Croesus, quum Halym vado transire non posset, neque navium aut pontis faciendi copiam haberet, fossa superiori parte post castra deducta, alveum fluminis a tergo exercitus sui reddidit," veritati minus convenire.

cietatem inierunt, et auxilia paraturi erant; verum, priusquam advenissent, Croesus jam captus fuit (12). Cyrus etenim, ut Croesum praeveniret, iter dies noctesque faciens Sardes tendit, verum, priusquam Sardes accessissent Persae, in campo quodam, Hermo vocato, Lydos in acie instructos videt, et inprimis eorum equitatum splendidissime armatum, suo longe et numero et pugnandi arte superiorem. Ut hunc perterreret, tale iniit consilium ab Harpago Medo datum. Coactis omnibus, qui in exercitu erant, camelis, vel frumentum, vel vasa portantibus, sarcinas detraxit, et viros imposuit equestri cultu ornatos: quibus ita instructis praecepit, ut ceteras copias praeirent adversus Croesi equitatum: pedestres vero copias jussit camelorum aciem subsequi: denique, post peditatum, omnem equitatum locavit. Quum itaque res ad pugnam venisset, equi, camelos videntes, metu capti fugerunt. Tunc Lydi, ab equis desilientes, acriter Persis resistunt; sed Harpagi dolus plus quam Lydorum virtus valuit: nam ab equis desilientes, paullulum perturbati, tandem ad Sardium moenia se recipere coacti sunt (13). Cyrus, urbem quum obsidione cinxisset, dimissis per castra

(12) Herod. L. I. c. 75—77. et 83.
(13) Herod. L. I. c. 79 et 80.

tra equitibus, copiis suis edixit: dona se daturum ei, qui murum prius conscendisset. Mox periculo a militibus facto, postquam res non successisset, decimo tandem quarto die Mardus quidam, Heroëadis nomine, murum adscendit ea parte, qua inaccessa putabatur, et incustodita relicta erat, postquam pridie casu cognoverat aditum ex Lydo quodam, quem ad galeam repetendam descendere vidisset. Illo itaque praeëunte, plures sequuntur; et sic Sardes captae sunt. Arce capta, Persarum aliquis, cui ignotus esset Croesus, eum petebat occisurus. Croesus quidem, tot calamitatibus fractus, mortem non timebat; at filius ejus mutus, ubi Persam vidit irruentem, prae metu doloreque rupit vocem dixitque: Ὤνθρωπε, μὴ κτεῖνε Κροῖσον· *O homo! ne occide Croesum* (14); quo patris vitam servavit: nam Cyrus inprimis Croeso parcere jusserat. Hac tunc edita voce postea per om-

(14) VALERIUS MAXIMUS L. V. c. 4. Ex. 6. etiam hoc ab Herodoto acceptum habet: Illa nimirum, quae etiam Croesi filium loquendi usu defectum, ad protegendam patris incolumitatem ministerio vocis instruxit. Captis enim a Cyro Sardibus, cum unus e numero Persarum, ignarus viri, in caedem ejus concitato ferretur impetu: velut oblitus quid sibi nascenti fortuna denegasset, ne Croesum Regem occideret, proclamando, pene jam impressum jugulo mucronem revocavit. Ita qui ad id tempus mutus sibi vixerat, saluti parentis vocalis factus est. — Conf. A. GELLIUS N. A. L. V. c. 9.

omne vitae tempus loquela usus est (15). Captum itaque Croesum ad Cyrum deducunt Persae, quem rogo imponi jussit, et circa eum bis septem Lydos. Itaque rogo jam impositus, quum flammis comburendus traderetur, ter Solonis nomen exclamat; reminiscens videlicet, quam vere sapiens ille de inconstantia rerum humanarum locutus esset. Cyrus, quodnam ille nomen invocasset, scire cupiens, per interpretes sciscitatus est, qui vix eum ad respondendum impellunt. Audit Cyrus Solonis cum Croeso colloquium de vera felicitate; animadvertit se hominem flammis tradere, qui paullo ante sese non inferior fuisset. Talia cogitans statim animum mutat, ipsumque rogo descendere jubet. Jam vero incensi rogi flamma exsuperat adeo, ut, qui adessent, non possent exstinguere. In hoc discrimine Croesus Apollinem precatur: si quod a se donum ei unquam gratum fuisset oblatum, nunc sibi adesset et ex praesenti malo se liberaret. Statim, postquam haec precatus esset, ex sereno coelo tempestas ingruit et imber ingens cadit, quo exstinguitur ignis. Ad Cyrum quum venisset, rogatur, cur bellum Persis intulisset. Ille, primum suo, deinde infausto fato fecisse, Cyri autem prospero, res-

(15) Herod. L. I. c. 81, 84, 85.

respondit, et praeterea ab Apollinis oraculo impulsum. Mox accidit ut se Cyro gratum redderet: quum etenim milites Sardes diriperent, Cyro ostendit, quam perniciosum hoc ipsi foret; quum nunc sua ipsius bona auferrent. Cyrus, hoc sapienti consilio audito, et Croesum admiratus, petere jussit, quid muneris sibi vellet dari. Petiit ille, ut sibi liceret Graecorum Deum Apollinem percontari, missis ad eum compedibus, quibus vinctus fuerat. Impetrat. Proficiscuntur itaque Lydi Delphos et rogant: num fas sit illi esse ingrato? et an non puderet Deum quod oraculi responsis incitasset Croesum ad bellum Persis inferendum, spe injecta eum eversurum esse Cyri potentiam, unde tales ipsi primitiae evenissent. Pythiae autem responsum simplex fuit: sortem fato destinatam effugere etiam Deus non potest: Croesus etenim quinti genitoris (16) peccatum luit. Addit: Deum distulisse, quoad fatum permiserat, tum etiam illum a Deo servatum esse in rogo. Injuste ergo Deum incusare Croesum, nam dixit quidem Deus, fore ut magnum everteret imperium; verum minime indicavit, suumne an Cyri imperium esset eversurus. Et quod ad mulum attinebat, de quo in altero responso fuit sermo, hoc aper-

(16) Hic fuit Gyges, qui, Candaule interfecto, ipsius regnum accepit. HEROD. L. I. c. 8—13.

aperte Cyrus significatus est, qui matre generosa, patre tenui natus, muli nomine sic merito diceretur (17). Hoc facto Croesus una cum Cyro Ecbatana profectus est, apud quem multum valebat, sicut et apud Cambysem ejus filium (18).

EX CTESIA.

Ctesias tradit (19) Cyrum, Amorgis Sacarum Regis auxilio adjutum, Croeso et Sardibus bellum intulisse. Narrat praeterea, quomodo Oebarae consilio lignea Persarum simulacra, in muro conspecta, timorem injecerint, quam ob caussam urbs capta fuerit: et quo pacto ante captam urbem Croesi filius obses datus fuerit, quum Croesus divino quodam spectro deceptus fuisset. Tradit etiam, dolos machinante Croeso, filium in ejus conspectu fuisse interfectum, et matrem, hanc calamitatem intuentem, se ipsam ex muro praecipitasse, nec tamen mortuam esse; deinde, capta urbe, ad Apollinis aedem, quae in urbe erat, confugisse et diem obiisse supremum. Croesus in templo vinctus, ter-

(17) Herod. L. I. c. 86—91.
(18) Herod. L. I. c. 153 sq. L. III. c. 10. 36.
(19) Ctesiae *Excerpta* a Photio servata sunt: integra nempe, quam Ctesias de rebus Persicis conscripsit, historia ad nos non pervenit.

tertium, nemine, quis hoc faceret, vidente, solutus est, quamvis templo sigilla circumposita essent, eorumque custodia Oebarae commissa. Illis, qui una cum Croeso fuerant, amputata fuere capita, quasi horum proditione solutus fuisset Croesus. In regias aedes porro adductus fuit Croesus, firmiusque vinctus; sed quum tonitrua fulminaque irruissent, rursus solvitur. Tum Cyrus vix tandem eum missum fecit, et alio inde tempore cum aliis humanitatis officiis eum prosecutus est, tum vero urbem magnam nomine Barenem prope Ecbatana ei donavit; in qua erant quinque millia equitum, peltatorum autem jaculatorumque et sagittariorum decem millia.

EX DIODORO SICULO.

Adrastus (20) quidem Phrygius, Croesi, Lydorum Regis, filium, Atyn nomine, inter venandum occidit, cum jaculo aprum peteret. Verum ille, tametsi imprudens caedes fuisset, indignum se esse ajebat, qui huic caedi superesset. Hac Croesus calamitate pressus, primum cremandum ipsum tradere voluit, sed dein poena absolvit. Ipse autem Adrastus clam se ad filii tumulum mactat.

Cy-

(20) DIOD. SIC. *Exc. de virtut. et vitiis*, pag. 553, ed. Wesseling.

Cyrus, cum Croesum summa pietate praeditum esse existimaret, propterea quod imber subito e nubibus coörtus rogum exstinxerat, ac praeterea Solonis dictum memoriae retinens, Croesum honorifice secum habuit ejusque consilio etiam saepe usus est, ratus prudentia eum valere, qui cum tot tantisque sapientibus viris familiariter versatus fuisset.

EX NICOLAO DAMASCENO.

Narrat ille (21) bellum cum Caribus a Croeso exstinctum fuisse, et paullo post regnum consecutum Croesum bene et prospere regnasse, donec bellum Cyrum inter et Croesum ortum sit, quod Croesi captivitate et Lydici regni occupatione finitum est. Croesus itaque captus ad solium Cyri deducitur. Statim autem petiit, ut filius secum esset. Is ex quo primum loqui non poterat, expedita erat lingua, atque caeteroquin non mediocri prudentia valebat. Patris calamitatem videns, lacrymans edidit vocem, se pro patre morti offerens: quod Croesus prohibuit, alta voce clamans: ego

(21) NIC. DAMASC. pag. 54—70. edit. Orellii. qui etiam memoriae prodidit Croesi erga amicorum quemdam liberalitatem qui ipsi, patre adhuc superstite, pecunia sua auxiliatus esset et cui, regnum adeptus, gratum se semper ostendit. Qua de re conf. etiam AELIANUS, *Var. Hist.* L. IV. c. 27.

ego sum, qui vobis bellum intuli; itaque a me poenas sumite. Filius autem manus in coelum tollens: Apollo, inquit, et Dii alii, quos pater meus pie coluit, adeste nobis, ne simul cum Croeso religio inter homines pereat. Haec elocutus, se in rogum una conjicere nitebatur et vix ab amicis abductus est. Croesus autem, cumque eo bis septem Lydorum principes, rogum adscendit, licet Cyrus Croesi fortunam magnopere miseretur. Petebant enim Persae ejus mortem. Quum autem haec gererentur, venit Sibylla ex loco sublimiore, spectatura, quae fierent, et tunc alta voce dixit:

῏Ω μελέοι τί σπεύδεθ' ἃ μὴ θέμις· οὐ γὰρ ἐάσει
Ζεὺς ὕπατος Φοῖβος τὲ καὶ ὁ Κλυτὸς 'Αμφίαραος.
'Αλλά γ' ἐμῶν ἐπέων πίθεσθε ἀψευδέσι χρησμοῖς,
Μὴ κακὸν ὀιτὸν ὀλοῖσθε παρὲκ θεοῦ ἀφραίνοντες.

Quid facitis miseri quod fas vetat? haud tamen illud
Jupiter, haud Phoebus sinit, aut bonus Amphiaraus.
Carminibus parete meis, me mente carentes
Occupet exitium divini numinis ira.

Hoc audito, Cyrus jussit exponi oraculum, ut Croesum servaret. Verum Persarum multis inerat suspicio, ad hoc comparatam fuisse Sibyllam, ut ita

salus Croeso quaereretur. Persae autem jam rogum incendebant. Croesus, ter ingemiscens, Solonis nomen vocat: quo audito, lacrymas fundit Cyrus, a Persis coactus Regem, paulo ante nil se inferiorem, flammis tradere. Itaque misit, qui Croesum e rogo descendere jusserunt. Sed quum rogum, qui succurrerent, exstinguere non possent, Croesus Apollinem precatur, ut nunc subveniret. Ilico ex sereno coelo tempestas ingruit, dispersae sunt nubes, cadit imber, desiit ignis. Ad Cyrum in regiam perductus, petiit, ut, positis ad Delphicum limen compedibus, quibus vinctus esset, sciscitetur Deum: quae caussae fuerint, cur Deus ipsum impulisset ad Persas bello aggrediendos? quod a Cyro conceditur. Brevi post inter amicos Croesum habuit; et cum exiret Sardibus, uxorem ac liberos ei tradidit, ipsumque secum duxit. Sunt etiam, qui addant ipsi quoque urbem redditurum fuisse Cyrum, nisi res novas metuisset.

EX PLUTARCHO.

Plutarchus judicat (22), ab Herodoto et aliis his-

(22) Plutarch. *in Solone* c. 27. etc. Praeterea in Libro *de Pythiae oraculis* hoc singulare de Croeso habet: Novercam, Croeso insidiantem veneno pistrici dedisse, ac jussisse ut panem ex eo effictum Croeso daret; eam, re clanculum Croeso indicata, panem istum novercae pueris apposuisse: itaque Croesum, pos-

historicis memoratum, Solonis cum Croeso colloquium verum fuisse, quamvis nonnulli putarent obstare rationem temporum ideoque fictum haberent. Solon itaque, sic pergit, Sardes venit atque Croesum, in solio aureo sedentem, invenit. Tum spectatis rebus pretiosis, quae a Croeso possidebantur, cum Croeso de vera felicitate disseruit, et sermonibus de Tello Atheniensi, de Cleobi atque Bitone habitis, ostendere conatus est, neminem ante ultimum vitae diem esse beatum. His dictis Croesum ira cepit; nam se putaverat omnium felicissimum; et ita sine ullo dono remisit. Sed quum Croesus a Cyro victus esset atque captus et rogo imponeretur, ut vivus traderetur flammis, hujus Solonis dicti reminiscens, ter Solonis nomen invocat, quo audito Cyrus ab illo hujus rei caussam petit et rogat: utrum hic Solon Deus esset an homo. Tunc Croesus colloquium illud Cyro narrat: qua re cognita, et de fortunae mobilitate cogitans, eum non solum a flammis liberat, verum etiam postea semper in magno honore habuit.

EX

postea regno potitum, ancillae suae τῆς ἀρτοποιοῦ statuam auream in Delphici Apollinis templo posuisse. De hoc simulacro etiam mentionem fecisse HERODOTUM in L. I. c. 51. animadvertit SIMSONIUS *in Chronico* pag. 628.

EX JUSTINO.

Quum adversus Babylonios bellum gereret Cyrus (23), Babyloniis Rex Lydorum Croesus, cujus opes et divitiae eo tempore insignes erant, in auxilium venit, victusque jam ac desolatus in regnum refugit. Cyrus quoque post victoriam, compositis in Babylonia rebus, bellum transfert in Lydiam. Ibi fortuna prioris proelii perculsum jam Croesi exercitum nullo negotio fundit: Croesus ipse capitur. Sed quanto bellum minoris periculi, tanto et mitior victoria fuit. Croeso et vita, et patrimonii partes, et urbs Barce concessa sunt: in qua, etsi non regiam vitam, proximam tamen majestati regiae degeret.

EX POLYAENO.

Polyaenus narrat (24) Croesum a Biante fuisse deterritum, ne bellum inferret Insulanis. Insulani, dicebat Bias, magnum equorum numerum adversus te coëmunt. Ridens Croesus, hoc faxit, inquit, Jupiter, ut eos in continenti capiam. Respondit Bias: quid aliud eos precari oportet (25), quam ut Croesum in mari capiant.

Quum.

(23) Justin. L. I. c. 7.
(24) Polyaen. L. I. cap. 26.
(25) Τί δ' ἄλλο ἔφη κἀκείνους εὔχεσθαι Διΐ. Maasv. ex MSS. Διΐ edi-

Quum Croesus in Cappadocia a Cyro victus (26) esset, ut commode fugam facere posset, imperat militibus, ut magnam lignorum multitudinem comportarent: his viam angustam et arctam stravit; cumque nox ingrueret, per eam copias abduxit magna celeritate: equites vero levissimos et celerrimos reliquit: ut, cum primum illuxisset, lignum (27) incenderent: hoc pacto Croesus per fugam evasit: Cyrus autem a persequendo flamma est prohibitus.

Quum Cyrus videret Lydorum equitatum ad pugnandum paratum, constituit adversus equites armatos camelorum multitudinem in acie collocare. Camelum enim equus aversatur, adeo ut nec speciem ejus intueri, nec odorem sentire sustineat. Igitur equi Lydorum retro se avertunt, et in fugam versi sunt (28).

Quum Graeca auxilia aliquando cunctarentur (29), robustissimos ac maximos Lydorum Graecis armis ornavit: Cyri milites inusitatam Graecae armaturae speciem

edidit pro vulgato δὴ. Sed quum verba neque sic recte cohaereant, potius legendum videtur δεῖ.

(26) Polyaen. L. VII. c. VIII. §. 2.

(27) Τὴν ὕλην καταπρήσοντας. Male redditur ab Interprete Latino Justi Vultejo *sylvam.* Est enim *lignum*, *materies*; ξύλα πολλὰ supra dixit.

(28) Polyaen. L. VII. c. VI. §. 6.

(29) Polyaen. L. VII. c. VIII. §. 1.

ciem extimuere: etiam hastarum cum scutis collisarum fremitus timorem Persis injecit et aeneorum scutorum splendor. Persicorum equorum oculos perstrinxit atque avertit. Cyrus (30) cum Sardes aliquamdiu obsedisset, trium mensium inducias cum Croeso fecit. Factis induciis, exercitum ille abduxit quidem: ingruente vero nocte, repente reversus ad Sardium moenia duxit. Comparaverat autem plurima ligna longa, moenibus aequalia. His perticis simulacra imposuit, barbas habentia et Persicis vestibus induta, pharetramque ex humeris et arcus in manibus gestantia. Isthaec Ἔιδωλα per noctem surrigit, ita ut superarent arcis moenia. Ipse vero circa diluculum ex altera parte urbis muros aggreditur. Croesi milites impetum hunc Persarum strenue propulsant. Cum vero ex iis nonnulli conversi, a longo simulacra supra arcem cernerent, clamorem sustulerunt; omnesque invasit metus, quasi jam arce a Persis occupata. Itaque portis apertis alius alio fugam capessere; et hoc modo Sardes a Cyro captae sunt.

Cyrus (31), Sardibus potitus, necessarios ac familiares eorum, qui arcem cum Croeso obtinebant, vinctos in medium produxit, ac iis, qui oppugnabantur, ostendit, praecone jusso proclamare, si

(30) POLYAEN. L. VII. c. VI. §. 2 et 13.
(31) POLYAEN. L. VII. c. VI. §. 3.

si traderent arcem, se quoque familiares et consanguineos ipsis redditurum: si dedere nollent, se omnes suspendio necaturum. Illi, ut domesticos incolumes servarent, arcem Cyro tradiderunt, nequaquam secuti vanas Croesi spes de Graecorum auxilio.

EX FRONTINO.

Croesus (32), quum Halym vado transire non posset, neque navium aut pontis faciendi copiam haberet, fossa superiori parte post castra deducta, alveum fluminis a tergo exercitus sui reddidit.

Cyrus (33), praevalido hostium equitatui camelorum gregem opposuit; quorum novitate et horrore consternati equi, non solum insidentes praecipitaverunt, sed peditum quoque suorum ordines protriverunt, vincendosque hosti praebuerunt.

Cyrus, Rex Persarum, incluso Sardibus Croeso (34), qua praeruptus mons nullum aditum praestabat, ad moenia malos exaequantes altitudinem

(32) FRONTIN. L. I. c. V. §. 4.

(33) FRONTIN. L. II. c. IV. §. 12. — Mutavimus verbum *Croesus* in *Cyrus*, quum constet Cyrum hoc strategema adhibuisse contra Croesum (HEROD. L. I. c. 80. POLYAEN. L. VII. c. VI. §. 6). Videtur etiam olim lectum fuisse *Cyrus Croesi praevalido equitatui* etc. Conf. OUDENDORP in nota ad h. l.

(34) FRONT. L. III. c. VIII. §. 3.

nem jugi subrexit; quibus simulacra hominum armata Persici habitus imposuerat, noctuque eos monti admovit. Tum prima luce ex altera parte muros aggressus est, ubi, orto jam Sole, simulacra illa, armatorum referentia habitum, refulserunt. Oppidani captam urbem a tergo credentes, et ob hoc in fugam dilapsi, victoriam hostibus concesserunt.

EX DIOGENE LAËRTIO.

Postremo (35) ad Croesum pervenit Solon, a quo interrogatus quisnam ipsi felix videretur, Tellus respondit, Atheniensis, et Cleobis ac Bito et reliqui, qui sunt in ore omnium. Ajunt quidem Croesum, quum se exquisitissimo omnium ornamentorum genere composuisset, et in sella regia adsedisset, ab eo quaesivisse, numquid pulchrius unquam spectaculum vidisset? Tum ille respondit gallos gallinaceos, phasianos et pavones. Naturali etenim flore et incredibili pulchritudine ii ornati sunt.

§. 3.

(34) DIOG. LAËRT. In *Solone* L. I. pag. 12 et 13. ed. Menag. Apud LAËRTIUM invenitur Τέλαος, quod mutavimus in Τέλλος sicut editio Stephani. Τέλος habet editio Basileensis, Τέλαος Codex Farnesianus. *Tellus* autem melius videtur, quia Herodotus et Plutarchus ambo Tellum vocant. Τέλαος autem pro Τέλλος vitiose ab Exscriptoribus fuisse scriptum putat MENAGIUS *in Observ. ad Diog. Laërt.* pag. 17.

§. 3.

Locorum comparatio instituitur, in iisque comparandis fabulosae aliorum narrationes ostenduntur.

Videmus itaque magnum dissensum esse Xenophontem inter et ceteros scriptores. Si autem Herodoti reliquorumque scriptorum loca animadvertimus, multa mihi inveniri videntur, quae veritati historicae obstant. In iis dijudicandis ab Herodoto ordiemur, et qui eum secuti sunt. Primum Solonis cum Croeso, a pluribus historicis traditum, celebre colloquium dignum est, ut indagetur; nam revera accidisse non verosimile est. Solon etenim eodem anno mortuus esse videtur, quo regnum accepit Croesus. Regnum autem accepisse videtur a°. 560 circiter ante Chr.; nam SOSICRATES (36) Periandrum tradit a°. 4 Ol. 48, quadraginta annos ante captivitatem Croesi, mortuum esse, quae itaque incidit in annum 4 Olymp. 58 in qua confirmatur a SOLINO (37), in eadem Olympiade Sardium expugnationem memorante. Ex eodem de Periandri obitu testimonio exposuit SIMSONIUS, CAPPELLO auctore, a°. 543 Croesum regno exutum fuisse

(36) Apud DIOGENEM LAERTIUM citatus *in. Periand.* L. I. pag. 25.

(37) SOLINUS *Polyhistor.* c. 7. Conf. etiam FRERETUS in *Mem. des Inscr. et belles Lettres*, Tom. V. pag. 274.

se (38). Quodsi eam computationem accipiamus, majus etiam fit annorum discrimen Croesum inter et Solonem. Quum itaque plerique Olymp. 58 i. e. circiter annum 545 aut 546 Sardes a Cyro expugnatas fuisse dicunt, et Croesus quatuordecim annos regnasset (39) a°. 560 regni incidit tempus. Secundum Eusebium fuit annus 562 (40), quo Croesus Rex Lydiae factus est. Secundum alios autem incidit in annum 563 aut 564 aut etiam 571 (41). — Solonem autem Olymp. 46 a°. 3 leges tulisse, atque obiisse yrannidis Pisistrati a°. 2 sub Olymp. 54 computant FRERETUS (42) et BRUCKERUS (43), qua regnare Croesus inter Lydos coeperit. Duravit Pisistrati et filiorum tyrannis, Hippiae atque Hipparchi, 51 annos (44). Hi 51 anni itaque finiti sunt 20 annos ante pugnam apud Marathona (45). Proelium autem Marathonicum incidit in annum 490 ante Chr. (46). Fi-

(38) SIMSONII *Chronicon*. ed. Wess. pag. 645.

(39) HEROD. L. I. c. 86.

(40) Citatus ap. FRERET. op. cit. pag. 274.

(41) v. g. HEEREN *Handb.* pag. 30. DUMBECK *Tab. Chron.* pag. 8. Egregie autem atque docte solitam, qua nos secuti sumus, computationem probat Vir. Ampl. J. TER PELKWYK in op. cit. pag. 201 sq.

(42) FRERET. op. cit. pag. 276.

(43) BRUCKER. *Hist. Philosoph.* L. I. pag. 444.

(44) Conf. FRERET. op. cit. pag. 276.

(45) THUCYD. L. VI. p. 452.

(46) HEEREN. pag. 200., DUMBECK., pag. 11. et FRERET., l. c.

Finis itaque Pisistratidae tyrannidis fuit a°. 509 seu 510 ante Chr.; et itaque principium a°. 561. Secundo anno mortuus esse videtur, itaque anno 560 seu 559, quo etiam inter Lydos regnum nactus est Croesus. Si itaque, ut nonnulli narrant (47), quinquagesimo aetatis anno profectus est, Alyattem Regem vidit. Sunt etiam, qui putent (48) συχνὸν χρονὸν i. e. complures annos post tyrannidem, a Pisistrato, occupatam, superstitem fuisse, atque ita JO. MEURSIUS (49) accipit, tunc in Lydiam peregrinandi caussa abiisse narrans; cui etiam consentit Simsonius in Chronico (50); sed tunc Plutarchi et Herodoti narrationes obstant, iter et colloquium ante Pisistratum ponentes. Si autem Herodoti et Plutarchi traditionem accipimus, nullo modo cum Chronologia conciliari potest (51). Itaque eorum, qui post Pisistrati tyrannidem contigisse dicunt, multo verosimilior videtur traditio (52). Wesselingius pu-

(47) HEROD. L. I. c. 29. PLUT. in *Solone*, c. 27. qui ambo ante Pisistratum hocce iter ponunt, et eam magnopere ob caussam iter a Solone esse factum contendunt, ne aliquam legem, quas condiderat, abrogare cogeretur. Nam hoc Athenienses facere nequibant; maximo jurejurando adacti, ad eas decem per annos servandas.

(48) v. g. HERACLIDES PONTICUS apud PLUTARCHUM in *Solone* in fine.

(49 MEURSIUS in *Solone*, c. 28.

(50) SIMSONII *Chronicon*, pag. 608.

(51) Conf. etiam FRERET. in op. cit. pag. 276.

(52) DIOG. LAERT. pag. 12 sq. SIMSONII *Chron.* l. c. FRERET op. c. pag. 277.

(53) putat „Solonem non statim a latis legibus, sed illis annorum lapsu stabilitis, itineri se tradidisse; porro Croesum Alyattae patri regni consortem fuisse (54) ejusdemque auspiciis bellum gessisse; (ut apud SUIDAM in Κροῖσος, quocum conf. NICOL. DAMASC. pag. 454.) quo quidem tempore, si juvenem principem et fortunae successibus ebrium Sardibus Solon convenerit, nihil profecto erit, cur hoc colloquium fabulosum censeatur." Sed et ipse profitetur tantum conjecturas esse; tales tamen, quae scriptoris fidem ex tanta volutatione extrahere queant. Si autem post Pisistrati tyrannidem occupatam hoc colloquium habitum sit, eodem anno, quo mortuus videtur, Solon se Sardes conferre debuisset. FRERETUS dicit se magnopere in illa traditione legenda miratum esse, quod Solon, qui Athenas ob Pisistrati tyrannidem deseruisse videtur (55) aulam Croesi praeferret; prae-

(53) WESSELINGIUS *ad Herodotum*, pag. 32. ed. Schweigh. in Annot.

(54) Hoc ita placet WESSELINGIO l. c., ex HERODOTI L. I. c. 92. quamvis nil inest ex quo hoc, nostro sensu, appareat.

(55) DIOGENES LAERTIUS, pag. 12 sq. Conf. FRERET. op. cit. pag. 277 et 278. Conf. etiam SIMSONII *Chron.*, pag. 608. Epistolam etiam commemorat DIOG. LAERTIUS, ex quo etiam apparet iter Solonis ad vitae finem esse ponendum. In ea Epistola pollicitus est Solon se Sardes conversurum esse, ut hospes ejus fie-

praeterea mirum videri in responso, quod Plutarchus, qui inprimis hoc colloquium re vera factum fuisse confessus est (56), tradidit, Solonem quidem dictis suis austeris et minime Philosopho dignis irritasse Croesum, qui nil aliud nisi blanda verba ex ejus ore profectura speraverat: quum nempe dixit neminem inter homines dici posse beatum, nisi qui ultimum vitae curriculum attigisset (57): ta-

fieret, et si ea in regione habitare posset, in qua unus esset qui dominium gereret, (DIOG. LAERT. pag. 17.), Lydiam Athenis, Pisistrati tempore, praeferret.

(56) PLUTARCHUS in *Solone*, c. 27. Etiam in loco, ubi Solon mortuus sit, differt, tradens Athenis diem obiisse supremum, cum DIOGENES LAERTIUS, et qui apud eum citantur pag. 51, memorat in insula Cypro vitam finivisse: quod accipiendum videtur; cum neque sepulcrum Athenis habuerit, neque Salami. Vid. FRERET op. c. pag. 277. MEURSIUS *in Solone*, c. 30.

(57) Minus recte a Solone hoc fuisse admonitum indicat CICERO his verbis *Fin.* L. III. c 22.: Recte invictus, cujus, etiamsi corpus constringatur, animo tamen nulla vincula injici possint: neque exspectet ultimum aetatis tempus, ut tum denique judicetur, beatusne fuerit, cum extremum vitae diem morte confecerit: quod ille unus e septem Sapientibus non sapienter Croesum monuit. Nam si beatus unquam fuisset, beatam vitam usque ad illum (et addita voce *illum* apparere videtur, etiam Ciceronem hoc fabulam habuisse) a Cyro exstructum rogum pertulisset: quod si ita est, ut neque quisquam, nisi bonus vir, et omnes boni beati sint: quid Philosophia magis colendum aut quid est virtute divinius. Alio loco L. II. c. 27.: Nam cum semel est suscepta beata vita, tam permanet, quam ipsa illa effectrix beatae vitae sapientia: neque exspectat ultimum tempus aetatis, quod Croeso scribit Herodotus praeceptum a Solone.

tamen nil admonuisse Croesum, ut se sapientius gereret: nil indicasse quid facere deberet, ut felices redderet subditos; ita ut Solon, quum abiret, quidem tristem fecisset Croesum, sed non sapientiorem reddidisset. *Λυπήσας μὲν, οὐ νουθετήσας Κροῖσον.* Sed quamvis non diffiteamur sermonem minime Philosopho dignum fuisse, tamen animadvertendum etiam videtur temporum illorum simplicitatem fuisse permagnam, et praeterea dubitamus, an ea tum fuerit Philosophandi ratio, ut mores civium emendarentur. Quamvis poena statuta fuerit secundum leges Solonis, tamen non id spectasse videntur, quod ad vitam communem essent accommodata, verum solum ad civitatem publicam pertinerent.

Etiam hoc in Plutarcho nobis reprehendendum videtur, quod, cum alibi mollem et delicatam vitam degisse eum testatur, in illo responso tamen nimiam austeritatem habuisse Solonem finxerit. Nam non credibile videtur Solonem tale responsum dedisse; in quo civem Atheniensem pro patria mortuum longe feliciorem quam opulentissimum Lydiae Regem praedicat; inprimis si attendamus in senectute scripsisse eundem Solonem Venerem, Bacchum et Musas esse maximas hominum delicias. Itaque Solonis moribus non simile fuisse videtur hoc Croeso responsum; quamvis Plutarchus putet hanc historiam

So-

Solonis moribus convenire (58) et ejus animi magnitudine et sapientia dignam esse.

Xenophon autem e contrario sensit has de eo traditiones legislatoris Atheniensis characteri minime convenire, quamvis ex eadem civitate qua Solon ortus, et ideo vera testimonia de Solone colligendi optimam occasionem nactus fuisset.

Ad ea, quae Diogenes Laërtius tradit rogatui Croesi: an pulchrius unquam spectaculum vidisset? sedebat autem in solio sublimi: respondisse Solonem gallinaceos, fasianos et pavones: dicendum habemus fabulae cuidam simile esse: nam ille sermo Philosopho et legislatore omnino indignus est, quantumvis etiam credamus simplicitatem et libertatem illorum temporum non ex nostris moribus esse judicandam.

Invenimus etiam apud Herodotum Oraculi responsa, quae difficiliter veritati conveniunt. Etenim, quae de Croesi muto filio et de Mulo tradita sunt, ejus generis esse videntur, ut, quamvis fateamur magna prudentia praeditos fuisse Apollinis Sacerdotes, in dubium merito vocentur. Sic etiam ex eodem superstitioso fonte responsum de Persico bello profectum videtur. Nam, quod Xenophon tradidit

Ubi

(58) PLUTARCHUS in *Solone*, c. 27.

Ubi te ipsum cognoveris, vives o Croese beatus, Croeso ab oraculo fuisse editum, multo magis veritati historicae convenit: quum inscriptum haberet Delphicum Oraculum nobilem sententiam Γνῶθι σεαυτὸν, celebratam ab omnibus, qui morali Philosophiae operam navarunt, et principium continentem universae philosophiae Socraticae. Praecepta moralia non semel ab Oraculo Delphico edita sunt, eo consilio: ut hominum res et vitam emendarent. Herodotus (59) ipse hujus rei exemplum attulit: quod Glaucus nempe, quum pecuniam apud se olim depositam requirerent depositarii filii, negaret, se unquam accepisse, ideoque tempus rogare ad deliberandum, et tunc Delphos profectum esse sciscitatum: an jurejurando pecuniam praedaretur. Ei respondit oraculum quod jurisjurandi haec natura esset, ut perjurum cum sobole et domo evertat; quo audito pecuniam reddidit. Praeterea non tam ambigua fuisse videntur Oraculi responsa. Quum enim Xenophon ipse e patria vocaretur, ut Cyrum viribus juvaret, Socrati rem exposuit et consuluit, qui respondit ea, quae sibi videbantur: *et nostrum quidem humanum est consilium, sed de rebus obscuris et incertis ad Apollinem referendum censeo* (60). Itaque Socrates bene sciebat de incertis Apollinem es-

(59) HEROD. L. VI. c. 86.
(60) CICERO *de Divin.*, L. I. c. 54.

esse consulendum: et talia responsa, sicut Croeso edita fuisse tradunt (61), minime accipere sperat. Nam, quum Athenas reversus esset et Socrati id aperisset, in eo reprehensus est, quod non Apollinem de itinere prius potiusve, ingrediendumne esset, consuleret, et quo pacto rite suscipi posset, id unum quaereret: nam quidem, quomodo proficisceretur ad Cyrum, sciscitatus fuerat, sed minime utrum proficisci ipsum oporteat (62). Sed haec longius nos a proposito abducunt. Itaque illuc revertimur, cum his tantum ostendere conati simus oraculo Xenophonteam traditionem de illo responso melius convenire videri quam Herodoteam.

Tradunt Herodotus et Nic. Damascenus Croesum in rogo a Cyro fuisse impositum, et deinde divino au-

(61) CICERO *de Divin.*, L. II. c. 56. eos, qui huic responso fidem habeant, falli putat: Nam cum sors illa edita est opulentissimo Regi Asiae:

Κροῖσος Ἅλυν διαβὰς μεγάλην ἀρχὴν καταλύσει.

Croesus Halym penetrans, magnam pervertet opum vim:

hostium vim sese perversurum putavit: pervertit autem suam. Utrum igitur eorum accidisset, verum Oraculum fuisset. Cur autem hoc credam unquam editum Croeso? aut Herodotum cur veraciorem ducam Ennio? num minus ille potuit de Croeso, quam de Pyrrho fingere Ennius?

(62) DIOGENES LAERTIUS, L. II. *in Xenophonte*, pag. 45.

auxilio mortis periculo fuisse liberatum, hic omnem inhumanitatis culpam a Cyro in Persas amoliens (63), ille Cyrum hujus rei auctorem vocans. Xenophontis autem narratio iis contraria est, cui consentit etiam Justinus, qui tradunt statim apud Cyrum in magnum pervenisse honorem Croesum. Haec autem crudelitas, cujus participem faciunt Cyrum, non characteri ejus convenire videtur. HERODOTUS etenim ipse (64) testatur, Cyrum appellasse Persas patrem: *ὅτι ἤπιός τε, καὶ ἀγαθά σφι πάντα ἐμηχανήσατο*: *quod mitis fuerit, et utilia iis fecerit.* Ita hoc loco de indole ejus praeclara, et miti ingenio luculenter mentionem facit. Et veteres plerumque in eo consentiunt, quod tam virtute, quam fortuna omnibus praecelluerit (65). De eo etiam anim.

(63) Procul dubio hic Xanthum Lydium ante oculos habuit: nam Herodotum minime secutus esse videtur: nec etiam Ctesiam, qui multa alia prodigiosa narrat, sed tamen de rogo nil habet. Eum fidissimum nominat DIONYSIUS HALLICARNASSENSIS (pag. 12. edit. Sylb. *Ant. Rom.*) his verbis: Ξάνθος δὲ ὁ λύδος, ἱστοριᾶς παλαιᾶς, εἰ καὶ τίς ἀλλὸς ἐμπείρος ὤν, τῆς δὲ πατριοῦ καὶ βεβαιώτης ἂν οὐδένος ὑποδέεστερος. Etiam in, *de Thucyd. Hist.*, *judicio* de eo mentionem facit (pag. 130. ejusd. edit.): Ἀρχαῖοι μὲν οὖν συγγραφεῖς πολλοὶ, καὶ κατὰ πόλλοῦς τόπους ἐγένοντο πρὸ τοῦ Πελοποννησιάκου πόλεμου· ἐν οἰς ἔστιν — καὶ Ξάνθος ὁ Λύδος. Conf. etiam ORELLII *Annot. in Nicolaum Damasc.*, pag. 195.

(64) HEROD. L. III. c. 89.

(65) DIODORUS SICULUS, L. III. c. 160., in historia Zo-

animadvertendus est locus Plutarchi, qui in libro *de Malignitate Herodoti* (66) Herodotum hoc nomine, et hac in parte non immerito adeo, culpat quod inferat Cyrum, *ὃς φρονήσει καὶ ἀρετῇ καὶ μεγαλονοίᾳ πολὺ παντῶν δοκεῖ πεπρωτευκέναι τῶν βασιλέων*: *qui prudentia et virtute et magnanimitate facile omnibus Regibus praestitit*, a Croeso ab his virtutibus imparato captantem consilia. Justinus autem, sive potius Trogus Pompejus, jam sensisse videntur, Herodotea minime Cyri personae et temporibus atque commodo convenire: praeterea etiam caussam addit, cur ita clementer erga Croesum egerit Cyrus. „Haec (67) Cyri clementia non minus victori quam victo utilis fuit; quippe ex universa Graecia, cognito, quod illatum Croeso bellum esset, auxilia velut ad commune exstinguendum incendium confluebant. Tantus Croesi amor apud omnes urbes erat, passurusque grave Cyrus bellum Graeciae fuit, si quid in Croesum crudelius consuluisset." Praeterea animadvertenda sunt ea, quae accidisse eo tem-

Zopyri, dicit: *neminem Persarum unquam ausum esse se Cyro comparare.* JUSTINUS, L. I. cap. 8. *Cyrum vocat Regem admirabiliter insignem.* AMMIANUS MARCELLINUS, L. XXIII. c. 6. ait: *antiquior Cyrus, Rex amabilis.* etc.

(66) PLUTARCH. *de Malign. Herod.* Tom. II. pag. 858.

(67) JUSTINUS, L. I. cap. 7.

tempore, quo Croesus rogo imponeretur, tradit Herodotus. Quod de Solonis dicto, in rogo a Croeso enuntiato, mentionem faciamus minime opus est, cum ante indicasse videamur, illud colloquium non locum habere potuisse. Verum de aliis. Quum flamma adeo exsuperaret, ut ii, qui succurrerent, exstinguere non possent, Apollinem invocat, ut, si quid ab ipso unquam gratum Deo factum fuisset, in hoc discrimine subveniret. Apollo, illius preces audiens, et pietatem videns, miseratur et grandem nimbum excitat, ita ut statim desierit ignis. Hoc re vera factum fuisse quis est, qui non in dubium vocet? Nicolaus Damascenus tradit etiam, dum Croesus in hoc vitae discrimine esset, Sibyllam de coelo misisse Jovem, ut suis verbis Croesum a flamma liberaret. Itaque nobis etiam multa prodigiosa retulisse Nicolaum Damascenum existimamus. Memorant et Herodotus et Xenophon Croesum de diripienda urbe aliisque bene Cyro consuluisse. In Herodotea autem narratione, in qua Croesus hujus rei ultro facit mentionem: Ὦ βασιλεῦ κότερα, λέγεον πρὸς σὲ τὰ νοέων τυγχάνω, ἢ σιγᾷν ἐν τῷ παρεόντι χρόνῳ χρὴ, obstat quod captus homo, qui a maxima felicitate in miserrimam vitam conjicitur, et qui victorem non cognoscit, silere solitus sit, fortunae mobilitate perculsus. Sic

Croe-

Croesum non prius verba facientem tradit Xenophon, quam victor jussit. Apud Herodotum longe duriora patitur; rogum adhuc videt; flammis se vix ereptum revocat; et itaque multo magis tacuisse videtur Croesus, et nonnisi Cyri rogatibus respondisse. Etiam attendendum videtur ad illam Herodoti narrationem, quod nempe vincula, Apollinis deridendi caussa, Delphos miserit Croesus. Ex ipso Herodoto hanc narrationem ridiculam esse apparet. Nam, ne dicamus per totam vitam superstitioni populari addictum fuisse Croesum, solum animadvertimus ipsum fuisse Apollinem, qui, ingenti imbre effuso, flammis eum eripuit; hoc fecisse Apollinem sciebat Croesus, nam ab ipso auxilium petierat. Nihil itaque veritatis tribuimus huic fabulae, quum, nobis judicibus, constet, hominem non irrisurum esse Deum, a quo paulo ante vitam acceperat: saltem qui ejus vitam manifesto servaverat: Putamus autem Herodotum attulisse vulgares fabulas, quae in ore vulgi erant (68), et, dum narrando propagabantur, vires eundo accipiebant, magisque etiam, ut in Oriente, ornabantur.

Quae Ctesias tradit de spectro, quo Croesus decep-

(68) Conf. WESSELING. *ad Herod.* pag. 99. in annot. ed. Sweigheauseri.

ceptus fuerit: de ligneis Persarum simulacris, in quibus narrandis eum secutus esse videntur Polyaenus et Frontinus: de Croeso semel, iterum, tertio vinculis, divino quodam prodigio, soluto: de eodem ad regiam perducto, arctius vincto, et tandem inter tonitruum fragores et fulmina rursus de vinculis elapso: haec omnia etiam minus probabilia videntur, et de Deo quodam potius quam de homine mentionem fecisse scriptorem primo jam obtutu verosimile est.

Sic ostendimus in Herodoto aliisque multa inveniri, quae minime veritati congruentia videantur. Nunc pervenimus ad ea judicanda, quae ab Herodoto commemorantur et a Xenophonte omissa sunt. Duos filios habuit Croesus, quorum alter mutus fuit, alter in aetatis flore periit. Quomodo ille major natu filius diem obierit supremum ab Herodoto narratur. Etenim venatum quum exiisset, per imprudentiam, apri loco, ab Adrasto occiditur. De altero filio commemorat factum, quo ejus linguae vitium emendatum sit. Sardibus captis, aliquis Persa Croesum petebat occisurus. Persam, in Croesum invadere cupientem, conspiciens mutus filius, prae metu doloreque rupit vocem, dixitque: ὤνθρωπε μὴ κτεῖνε Κροῖσον. *O homo, ne occidas Croesum.* Videtur itaque Croesi filius, ruptis vi vin-

vinculis, quibus huc usque lingua retinebatur, vocem edidisse eo die, quo calamitate oppressus erat; quod omnino probabile est (69). Ratio autem, quare Xenophon haec omisit, non est, quod minus accuratus sit; sed in Cyropaediae consilio quaerenda est. In Cyropaedia etenim vitam et res gestas Cyri exposuit, ut Cyri inprimis virtutes demonstraret. Itaque ea de Croeso narrat, quae ad vitam Cyri pertinent. Oraculorum igitur responsa exponentem ei Croesum facit scriptor, ideo praecipue, quod iis auditis se felicissimum putarat, se ipsum cognoscens; atque propterea semper prospera fortuna se usurum esse existimarat, Cyrusque ab eo peteret caussas, quibus incitatus fuerit bello ipsum aggredi. Itaque omnia, quae simul ad personas Cyri et Croesi pertineant, quam accura-

(69) Infantes enim loqui discimus imitatione, audientes alios loqui. Filius Croesi non surdus erat natus, sed vitio linguae laborans, sonos, quos volebat, proferre non poterat. Hoc etiam voluit A. GELLIUS, L. V. c. 9. dicens: adolescentem os diduxisse, clamare nitentem, eoque nisu atque impetu spiritus, vitium nodumque linguae rupisse. GELLIUS simile factum addidit Athletae Samii. Haec exempla multis recentiorum temporum possunt augeri, ex quibus unum legatur in vita virorum et feminarum Belgic. (*Levensbeschrijving van Vaderl. Mannen en Vrouwen*, II D. pag. 59.) Valeant igitur auctores libri, cui nomen fecere *Fraudum historicarum* (*les Impostures de l'histoire*, Paris 1770) qui Tom. II. pag. 71. hic etiam Herodotum mendacii accusant, utentes hoc argumento: qui nunquam audiverat vocem humanam, subito loqui non potuit.

ratissime Xenophon addit, cum contra, quae ad Cyrum minus pertineant, omittat. Itaque tradit quidem natu majorem filium in aetatis flore periisse, et patrem, iis calamitatibus pressum, Oraculum adiisse; sed quomodo mortuus sit, ad Xenophontis operis consilium non pertinet. Ita etiam accipienda videntur ea de muto filio; nam hoc factum videtur in urbis ipsius expugnatione, nesciente Cyro. Narrat quidem Xenophon Croesum magnopere metuisse, ne a militibus irruentibus occideretur, et Cyrum, hoc cognito, ad eum pervenisse et custodes ei apposuisse. Eodem modo eorum non mentionem fecit, quae, antequam imperavit, ei contigerunt; et ea Croesi facta non tradidit, postquam imperium adeptus esset, quae ad operis propositum non conducere posse putabat. Fortasse autem aliquis dicat, hanc sententiam non in omnibus ita esse accipiendam, et ut hoc ostendat, in auxilium revocet a Xenophonte quidem fuisse traditum, quod Croesus Oraculum Delphicum adierit ut exploraret, utrum vera responderet Pythia: sed minime, ut Herodotus, indicasse, qua re Oraculi veritatem expertus esset. Fateor aliquid in hac oppositione inesse, quod primo obtutu verosimile esse possit. Sed si paullo accuratius inspiciamus et Xenophontis traditiones cum aliis comparemus, non difficilis mihi

vi-

videtur esse haec quaestio. Nam caussa in eo posita est, quod Xenophon, cum historiae narrationes prorsus negare non auderet, tamen superstitiosas populi traditiones remiserit. Quum itaque Herodotus memorat, Croesum legatos misisse, ut uno eodemque die et quidem centesimo, postquam fuerant profecti, Oraculum quodque adirent sciscitatum quid Croesus eo die ageret, et responsa ad se deferrent: *Croesum tunc in lebete aheno testudinem et agnum coxisse:* et tale responsum a Sacerdotibus etiam accepisse Croesi legatos: mihi probabile videtur aut Croesum et Sacerdotes Apollinis idem factum aeque absurdum miraculo quodam! simul cogitasse, aut Herodotum in hac re narranda, ut in aliis, multa a Graecorum superstitiosis narrationibus adsumsisse; nam Sacerdotes illi per aulicorum perfidiam profecto scire non potuerant, quid Croesus illo die faceret; praecipue si peregrinandi difficultatem eo tempore cogitemus: quod si verum est, fides Xenophontis magis magisque inde mihi crescere videtur: narrantis quidem Croesum animadvertisse Oraculum vera dicere: addentis tamen deinde sensisse perabsurde se agere quum procul Delphis abesset.

§. 4.

Nihil porro huic vitae inest, quod, quamvis ab aliis diversum, fidei historicae repugnet.

Sic Xenophontis accuratas traditiones universe defendimus: sequitur ut nunc paucis videamus, num in iis, quae de Croeso narrat Xenophon, quidquam sit, quod fidei historicae esse contrarium merito videatur.

Tradit Xenophon Assyriorum Regem, cum Croeso foedere inito, aggressum fuisse Cyrum: cum contra Herodotus hoc foedus Babyloniorum Regi adscribit, cui consentit Justinus. Cyaxares I jam ante evertit Assyriacum imperium, Sarraco ultimo Rege occiso (70). Sed quum Xenophon eo tempore de Assyriis loquitur, apparet Assyriam fortasse ipsam, Ninive aliisque urbibus exceptis, a Babylonico Rege denuo fuisse occupatam; et ideo Babyloniorum Regem etiam Assyriae dominum vocari, ut XENOPHON ipse indicat L. VI. c. II. §. 10. his verbis: Παρεῖναι δὲ σὺν τῷ Βαβυλῶνος ἄρχοντι τοὺς Ἀσσυρίους. Haec alii aliter expli-

(70) HEROD. L. I. c. 106. Conf. Cl. DUMBECK pag. 8.

plicavere: Constat autem Babylone tunc sedem habuisse Reges (71). — Tunc temporis regnum gubernasse videtur Neriglossarus, qui anno 560 ante C. N. regnum acceperat. Patet etenim Labynetum seu Nabonnedum ultimum Regem anno 556 in regno successisse Labosoarchadae, qui non diutius quam per septem menses imperium possederat (72).

Praeterea aliquod discrimen est inter historicos de sociis, quos in hoc bello habuerunt Persarum hostes. Totam fere Asiam Minorem Assyriorum atque Lydorum societati adjunctam fuisse fatetur Xenophon. Non ita Herodotus: hic belli initium factum fuisse narrat a Cappadociae invasione; Cappadociam Persis paruisse dicens. Sed quum XENOPHON non solum Regis Cappadocum Aribaei nomen (73); verum etiam ejus in pugna contra Persas obitum (74) memoriae prodit, nil habemus, cur fidem historicam Xenophonti negemus. Phryges, Cares, Paphlagones, quos Croesum secutos esse ait (75), Croeso vel fuisse tribu-

(71) HEROD. L. I. c. 188 et 189. XENOPHON L. VII. c. V.
(72) Conf. Cl. HEEREN pag. 29. et DUMBECK pag. 8.
(73) *Cyrop.* L. I. c. I. §. 5.
(74) *Cyrop.* L. IV. c. II. §. 31.
(75) *Cyrop.* L. I. c. V. §. 3. coll. cum L. II. c. I. §. 5.

butarios populos, vel in eorum regionibus ejus praefectos, Regis nomine, imperium gessisse omnino verosimile est, cum usque ad Halym victoriae essent prolatae. Quam nostram sententiam aperte confirmare videtur locus HERODOTI L. I. c. 35. ubi commemoratur Adrastus, regio Phrygio de genere, Midae (c. 14.) Phrygiae regis nepos, a patre Gordia ob fratrem occisum ejectus. Quum HERODOTUS L. I. c. 28. Phryges Croesi imperio subjectos esse ait, non opinari absurdum videtur Phrygiae Regem Croeso fuisse tributarium.

Herodotus Croesum ipsum belli initium fecisse ait, et foedus dein cum Babyloniis et Aegyptiis iniisse: quam sententiam minime tuentur Xenophon et Justinus; quorum ille scribit Assyriorum seu Babyloniorum Regem, societate cum Croeso inita, hostili modo primum in Persas egisse: hic autem in Babylonios bellum gessisse Cyrum dicit, quibus in auxilium veniebat Croesus Lydorum Rex. Babyloniorum Regem potius quam Croesum belli auctorem fuisse exinde putamus, quoniam Cyrus multo magis ipsi quam Croeso erat metuendus: magis etenim finitimae Persico imperio fuerunt Babylonicae provinciae quam Lydiae regnum: et ita cum Croeso, reliquisque Asiae Minoris regibus foedere icto, in Persas bellum gerit Babylonius.

In

In primi proelii, quod secundum Herodotum juxta Pteriam, secundum Xenophontem in Assyriae finibus commissum est, eventu differunt historici. Herodotus neutram in partem victoriam inclinasse: Xenophon Assyrios cum Lydis conjunctos a Persis fuisse victos tradit, eorumque Ducem, Assyriae seu Babyloniae Regem, in hac pugna cecidisse. A Trogo Pompejo et Justino haec confirmatur Xenophontis auctoritas tradentibus (76): in Babylonia seu, ut Xenophon vocat, in Assyria proelium fuisse commissum, in quo Croesus victus et desolatus in regnum refugit. — Quod ab Herodoto commemoratur Lydico exercitu multo majorem fuisse Persicum non verosimile est: nam Lydia non solum, verum etiam Babylonia, magnam terrarum partem in se comprehendens, multo potentior fuit quam Persarum recens et Medorum imperium (77): accedit, quod Croesus bellum non iniisset, nisi ingentem cum Sociis comparasset exercitum. Quum itaque et Lydi et Babylonii atque reliqui socii (78) om-

(76) JUSTINUS L. I. c. 7.

(77) Persae in pueritia optimis institutis erudiebantur (*Cyrop.* L. I. c. 11.) et eam ob caussam strenui milites et boni cives fiebant. Fuit autem parva natio, quae ante Cyrum Medis tributaria fuit. HEROD. L. I. c. 125 et 126.

(78) Vid. XENOPHON *Cyrop.* L. I. Cap. V. §. 2 et 3. HEROD. L. I. c. 46 et 71.

omni opera id efficere studerent, ut tollerent Persas, facile intelligitur, harum gentium copias longe Persicas et Medicas superasse sicut Xenophon computat. Quo strategemate in hoc proelio usus fuerit Cyrus, jam supra ex Polyaeno indicavimus.

Memorat Justinus, rebus Babylonicis a Cyro compositis, exercitum duxisse in Lydiam. Fallitur autem. Nam Herodotus et Xenophon in eo conveniunt, Croesum jam a Cyro victum captumque fuisse, antequam Babyloniorum bellum confecisset. Quum fuga Sardes se recepisset, petit a sociis auxilia; legatos mittit Lacedaemonem (79). Nominantur apud XENOPHONTEM (80) gentes, quae Croesum in hac nova expeditione sequebantur: Thraces (81), Aegyptii, Cyprii, totius fere Asiae Minoris populi, Arabes (82) et Phoenices; et prae-

(79) Non autem advenerunt auxilia, priusquam Croesus jam captus esset. HEROD. L. I. c. 83. Ob hanc societatem ineundam dicit PAUSANIAS L. IV. c. 5. a Croeso, Graecos Asiae incolas premente, donis illectos et primos omnium cum Croeso, itaque cum Barbaris, amicitiam contraxisse Spartanos. SUIDAS (in Εὐρυβάτος) addit Eurybatum missum fuisse ad milites conducendos, sed ad Cyrum omni cum pecunia perfide transiisse.

(80) XENOPH. *Cyrop.* L. VI. cap. II. §. 10 sq.

(81) Nempe Thyni et Bithyni, qui Croeso fuerunt tributarii. HEROD. L. I. c. 28.

(82) Arabes Assyriorum seu Babyloniorum Regibus subjectos, saltem tributarios fuisse jam ante *Cyrop.* L. I. c. V. §. 3. tradidit XENOPH. qui et L. I. c. II. §. 5. commemorat insigni bellatorum multitudine conspicuam Arabum gentem. „ Cum autem Arabum opes,

praeter eos Babylonii et Graeci, prope omnes Asiam incolentes. Ex HERODOTO non certo apparet num Aegyptii in auxilium venerint (83). Quum autem Jonia et Aeolia Croeso obediret (84): fortasse sunt qui dicant Xenophontem in hoc loco falli. Sed eam ob caussam haec ab eo addita videntur, quoniam non omnes Graeci, in Asia habitantes, Croeso obedirent. Nam Insulanos non ditioni suae subjectos fuisse constat; cum Biantis inprimis consilio ab hoc bello deterritus fuerit Croesus (85): et hospitium contra cum iis contraxerit. Quasdam autem insulas Croeso auxilia misisse probabile est: cum addat XENOPHON (86) *σχεδὸν πάντας τοὺς Ἕλληνας, τοὺς ἐν τῇ Ἀσίᾳ ἐποικοῦντας, παρεῖναι·* itaque

opes," ait WEISKIUS in *Prol.* pag. 92., „in tam multos et minutos populos distractae fuerint, vix credibile est sub unius Regis auspiciis tam magnam hominum copiam ad bellum congregari potuisse." Ideo quidam inveniuntur, qui sub Arabiae nomine comprehendant Palaestinam, Idumaeam, Phoeniciam et Arabiam petraeam (S. CROIX, pag. 673), quae omnia Assyriorum Regi subjecta erant. Sunt alii, qui putent intelligendos esse Arabes Scenitas, qui habitabant montes Ciliciae et Amanum. Haec autem omnia non ita esse nobis videntur. Ejus partis dominus fuisse videtur hic Arabum Rex, quae ab urbe Petrae nomine dicta est Petraea, et quae regio Palaestinae fuit finitima. Hujus partis Rex saepe Arabum Regis nomine inclaruit apud historicos. Imo JOSEPHUS, L. XIV. c. 2. nominat Aretam Arabum Regem, qui in capite suo Petrae aulam haberet.

(83) Vid. HEROD. L. I. c. 77 et 81.

(84) HEROD. L. I. c. 28.

(85) HEROD. L. I. c. 27. POLYAEN. L. I. c. 26.

(86) *Cyrop.* L. VI. c. II. §. 10.

que prope omnes Graecos: ideoque Insulanos, sive metu Croesi, sive societate ineunda ductos, etiam auxilia misisse: paucos autem eum non fuisse secutos.

In secundo proelio narrando non idem urbis nomen, juxta quam pugna pugnata est, referunt. Herodotus ponit in Campo Hermo. Xenophon juxta Thymbrara. Profitetur uterque pugnam fuisse acerrimam et inprimis Camelorum dolo victores exstitisse Persas. Justinus nullo negotio Lydos a Cyro fusos memorat.

Herodotus (87) nullam in Asia tunc temporis gentem Lydis bellicosiorem fuisse affirmat. Xenophon autem (88) Lydorum virtutem longe superasse Aegyptios narrat. In eo falli Xenophontem putant nonnulli; et, ut ostenderent, quam bellicosus, etiam post subactum regnum, fuerit Lydicus populus, Lydorum seditionem, Duce Pactya motam (89), memorant, quae Persarum armis exstincta fuit et caussam attulit, qua re eos quam maxime imbelles esse vellet. Ideo, usu armorum Lydis interdicto, vitam et mollem et desidem exerce-

(87) Hoc inprimis apparet ex primo proelio, ubi Herodotus Lydos, quamvis numero longe minores, tamen aequo Marte contra Persas pugnasse narrat, L. I. c. 76.

(88) *Cyrop.* L. VII. c. I. §. 29—40.

(89) Herod. L. I. c. 154.

cere jussit. Has et alias de Lydorum virtute narrationes opponunt Xenophonti, qui tantam virtutem iis adscribere non videtur. Sed ad ea dicendum; quum Xenophon strenuae, quam in hoc proelio praestiterunt Aegyptii, virtutis mentionem faciat, tamen exinde non apparere Lydos nulla virtute fuisse praeditos. Camelorum etenim immissio testatur, Cyrum uti dolo debuisse, si victoriam a Lydis reportare vellet.

In Sardibus expugnandis hoc Herodotum inter et Xenophontem est discrimen, quod hic primum adscendisse Persam quemdam, qui cujusdam in arce custodis praesidiarii servus fuerat, narret: ille Mardum, qui in Persarum exercitu stipendia mereret.

De Cyri erga Croesum voluntate jam egimus et Xenophontis traditionem prae reliquis veram judicavimus. Quod Croesum in vita servaverit Cyrus omnes tradunt; imo apud Cyrum multum valuisse, ut et apud Cambysem: ita ut interesset Senatui Persico (90) et in regni capite degeret. Ctesia et Justino testibus, Croeso etiam data fuit urbs Barce seu Barene: de qua donatione Herodotus et Xenophon non agunt. Hanc urbem fortasse acquisivit Croesus, ut reditus inde perciperet, ex quibus ea, quae ad vitam necessaria erant, haberet: cujusmodi urbium donationem apud Persicos Reges in more fuisse testatur Nepos. (91).

CA-

(90) Herod. L. III. c. 33—36.
(91) Nepos in *Themist.* c. 10.

M

CAPUT TERTIUM.

OSTENDITUR NIHIL ESSE IN VITA CROESI, QUAMVIS GRAECA ELEGANTIA ORNATUM, EX QUO APPAREAT XENOPHONTEM ALIQUID IN HAC SCRIBENDA FINXISSE.

§. 1.

Inquiritur num in hac vita quidquam sit, secundum Graecorum mores conscriptum.

Jam ostendimus Graecorum mores Persis saepe a Xenophonte tributos fuisse. Hoc Graeci scriptoris proprium videtur, ut in rebus Barbarorum conscribendis, ubi eos loquentes sive agentes facit, colorem Graecum servet. In Cyropaedia hoc tam in militaribus quam in civilibus rebus locum habere videtur. Nam minime credibile est Graeco-

rum

rum mores et instituta tantam similitudinem cum Persis habuisse. Inprimis Xenophon Laconicam reipublicae formam admirabatur, eamque nonnullis in locis expressit. WEISKIUS (1) multa hujus generis exempla collegit, ex quibus ostendere voluit omne quasi ingenium Lacedaemoniorum in Persas transtulisse Xenophontem. In hac Croesi vita pauca tamen ejusmodi insunt, nempe de Persarum acie, duces *in fronte* habente (2), et de militibus, proelium ineuntibus *coronatis* (3). Praeterea invenimus Cyrum, exercitu congregato, quumque ad Assyriae fines venisset, horoas, regionem Assyriorum incolentes, sacrificiis placasse et Jovi patrio rem divinam fecisse (4). Difficile autem est inquirere, num Persae Jovem venerati sint: HERODOTUS (5) scribit: *Θύουσι δὲ Ἡλίῳ τὲ καὶ Σελήνῃ καὶ Γῇ καὶ Πυρὶ καὶ Ὕδατι καὶ Ἀνέμοισι· τούτοισι μὲν δὴ μούνοισι θύουσι ἀρχῆθεν.* STRABONE auctore (6) colebant *Ἡλίον, καὶ Σελήνην, καὶ Ἀφρο-*

(1) WEISKIUS *in Prol. ad Cyrop.* p. 89.

(2) XENOPH. *Cyrop.* L. III. Cap. III. §. 57. Jam WEISKIUS *in Prol. ad Cyrop.* pag. 90, ZEUNIUS, atque SCHNEIDERUS ad illum locum observarunt, Laconicum morem secutum fuisse Xenophontem ex loco *de Rep. Lac.* c. XI. §. 5.

(3) XENOPH. *Cyrop.* L. III. cap. III. §. 40 et 42. quocum Conf. de *Rep. Lac.* cap. XIII. §. 8.

(4) XENOPHON *Cyrop.* L. III. c. III. §. 22.

(5) HEROD. L. I. c. 131.

(6) STRABO L. XV. pag. 1064.

φροδίτην, καὶ Πῦρ, καὶ Γῆν, καὶ Ἀνέμους, καὶ Ὕδωρ. Herodotus (7) praeterea tradit, Persis morem fuisse Jovi in summis montium jugis facere sacra, universum coeli orbem Jovem nominantibus. Jupiter autem hoc loco *patrius* intelligitur et alibi in hac vita (8) etiam tesseram militarem dedit militibus Cyrus: *Jupiter auxiliaris et dux.* Non obscure itaque Graeco more Cyrus patrium Deum nominat Jovem. Nam Solem, Oromazum, et Arimanem patrios Deos apud Persas fuisse non dubitamus (9). Nisi Xenophon intelligi voluerit, Cyrum sacra fecisse summo Persarum Numini, Persico Jovi illi, quem Persae isto honore colebant, quo Graeci Jovem. Sic etiam judicamus de Paeane, quem, Cyro auctore, milites canebant (10) simul atque proelium inciperet.

Jam ante monuimus, Xenophontem disciplinam Socratis philosophicam non uno in loco attigisse: quaeritur nunc, an in hac vita conscribenda Socratica disciplina usus sit.

Ut

(7) Herod. l. c.

(8) Xenophon *Cyrop.* L. III. c. III. §. 58.

(9) Conf. Brisson. *de Regno Persarum* pag. 513 et 514. Plutarchus *de Fort. Alex.* L. II. pag. 338. Jovem a Dario invocatum esse tradit, quod affirmat Curtius L. IV. c. 14. seq. Sed num ex his Darii invocationibus appareat, jam Cyri tempore Jovem coluisse Persas, merito dubitant.

(10) Xenophon *Cyrop.* L. III. c. III. §. 58 et 59.

Ut Socrates eximius fuit moribus, ingenio, vita: sic nova docendi ratione usus est. Etenim non declamando, ut sophista: non libris in vulgus edendis ut ceteri philosophi: verum eleganter, comiter, et sapienter disserendo homines ad virtutis studium excitavit. Hae elegantissimae disputationes nobis servatae sunt a Platone et Xenophonte, praeclaris ejus discipulis. Socratis itaque discipulus quum esset Xenophon, fieri non potuit, quin magistri elegantia caperetur, eaque penitus imbueretur. Ideo etiam disputationibus magnopere utitur, quae et in aliis operibus et inprimis in libro Memorabilium locum habent. In universa Cyropaedia hoc etiam inveniri ostendimus: indicio praecipue est factum cum Panthea: quid enim Socratico more tractatum esse dixeris, nisi hoc dicas. In Croesi vita admiramur Xenophontem, non tantum, qui res gestas commemorat, verum etiam disputantes homines inducit, et ea aliis narrantes, quae narrare munus erat historici. Huc pertinet, quod Xenophon hostilis exercitus numerum non narrat; verum Indicos inducit legatos, qui hostium copias Cyro recenserent (11). Quin et non Xenophon vitam Croesi narrat, sed, Sardibus captis, Croesus ipse est, qui sua facta Cyro memorat, et de Oraculis cum illo disputat. In iis autem exponendis ostendit Croesum sapientem

(11) XENOPHON *Cyrop.* L. VI. c. II. §. 9—11.

tem fuisse regem, quamquam nonnulla forte Graeco more ornaverit. Xenophontis autem narrationes, quamvis ad Graecam rationem compositas, veritati convenire, quis est qui negare possit? Constat enim v. g. urbem, Croeso auctore, non fuisse direptam, quamvis etiam certum sit illum Cyri cum Croeso sermonem de urbe diripienda non ita esse habitum, ut apud Xenophontem legitur. Ex ejus ingenio etiam profectum videtur illud, ubi dicit: se non recte egisse quod parem Cyro se putasset, primum a Diis orto, dein ex Regibus genito, atque etiam a pueris ad virtutem exercitato: cum contra is, qui ex majoribus suis Lydiae sceptrum primum tenuit, non solum regnum, verum etiam libertatem consecutus esset (12). Haec a Graeco scriptore suo more addita sunt, ut non solum Cyri virtutes verum etiam ortum laudaret, et heroëm suum e Diis genitum existimaret: cum

(12) XENOPHON *Cyrop.* L. VII. Cap. II. §. 24. Sunt, qui putent, nullo modo conciliari posse Croesi verba: *a pueris jam ad virtutem esse exercitatum Cyrum*; quum antea ipsi ignotus fuisse videtur Cyrus et itaque indicio esse Xenophontem talia admiscuisse, quae verae historiae non convenire possunt. Verum Cyri fama ex victoriis, quibus ipse intererat Croesus, orta, ipsius erga se conditio egregia, forte impellere potuissent Croesum, ut Cyrum jam a pueris ad virtutem exercitatum judicaret. Aut alioqui etiam de Cyri virtute certior factus fuisset a captivis vel a militibus, qui se ipsum post expugnatas Sardes custodirent.

cum contra stirpis Mermnadarum primus Gyges, qui Candaule, incitante Regina, interfecto, e satellite (13) rex factus est, simul regnum et libertatem accepit. Haec autem fama e Diis ortum fuisse Cyrum celebrata fuit: nam a Perseo, qui a Diis ortus credebatur, originem ducebant Persae (14). In orationibus plerumque et colloquiis etiam Graeca ratio conspicua est: ejus generis esse videtur quod Assyriorum Regem tamquam Graecum depingit: quum milites suos ante primum praelium ad virtutem excitet. Tunc ait (15): jam de vita certamen vobis est: et de terra, in qua nati estis: et pro domibus, in quibus educati: et pro mulieribus et liberis: imo pro omnibus quibus fruebamini. Depingit igitur Assyriorum Regem ita ad virtutem excitantem milites, ac si ipse fecisset. Nam his sententiis solum imbutus esse potuit Graecus, qui li-

(13) HEROD. L. I. cap. 7. et PLATO L. II. *de Rep.* p. 359. D. dicunt: eum regium pastorem fuisse, quam sententiam sequi Xenophontem putat ZEUNIUS, cui adsentit Cl. TEN BRINK *Cyrop. vertaald* Deel II. pag. 81. — Ex verbis autem *τῶν δ' ἐμῶν προγόνων ἀκούω τὸν πρῶτον βασιλεύσαντα ἅμα τε βασιλέα καὶ ἐλεύθερον γενέσθαι* re vera non conficere possum, utrum satelles Gyges fuerit an pastor regius.

(14) HEROD. L. VII. c. 61. Perseus Jovis filius habuit filiam Persen, cui avus Cepheus Beli filius, cum prole mascula careret, regnum reliquit, a quo Persae nomen traxisse creduntur, cum olim Cephenes dicerentur.

(15) XENOPH. *Cyrop.* L. III. Cap. III. §. 44 sq.

libertate utitur; et iis quum imbutus esset Xenophon, etiam Assyriorum Regi tanquam Duci adscribit.

Perpauca itaque sunt, quae Socratico sive Graeco more in hac vita tradidisse videtur Xenophon, quae nil faciunt, quo fides Xenophonti denegetur. Nam hoc ei cum ceteris scriptoribus commune; quin etiam Herodotus, cujus veritatem Xenophontis fictionibus opponunt, eodem more Persas loquentes facit de optima imperii forma (16).

§. 2.

De Orientalium moribus in hac vita conspicuis.

Orientalium mores, qui toti fere huic Cyropaediae parti insunt, narrare nunc operae pretium est, in quibus ita agemus, ut primum de Orientalium moribus universe, deinde qui ad Croesum ipsum pertineant disputemus. In castrorum positione hoc Orientalibus proprium fuit, ut castra cingerentur fossa (17): et hoc facillimum iis erat ob ingentem hominum multitudinem, quacum semper militabant. Partim hoc faciunt, quoniam sciunt copias

(16) HERODOTUS L. III. pag. 80 sq.
(17) XENOPHON *Cyrop.* L. III. Cap. III. §. 26.

pias equestres noctu esse tumultuosas et usum habere difficilem, quum ex diversis gentibus cogi (18) solent: partim se munitionibus circumdant, quoniam tum putent se habere potestatem proelii committendi. Ut itaque facilius fossa fieret, aut in exercitu sanitatem et puritatem melius servarent (19), ab Orientalibus, juxta fontes (20) aut aquosos agros castra poni omnino probabile est. Assyrii etiam castra fossa munierunt: et non locum occupabant vicis et tumulis objectum, verum oculis expositum (21): quod etiam in more fuit Orientalium: quum nempe hostes longe ante proelium se invicem conspicerent: et si forte mons aderat, juxta quem castra metabantur, hoc tamen magis regioni, in qua militia occupati erant, quam quidem bellicae arti adscribendum est (22). Etiam excubiae apud Orientales agebantur (23). „Non liquet, inquit WEISKIUS (24), cur auctor rem, de

(18) Conf. Cl. PALMIUS *ad* JUD. VII. 22.

(19) DEUTERON XXIII. 10—15.

(20) GEN. XIV. 3, 8. JUD. IV. 7, 13. JOS. XI. 5. I SAM. XXIX. 1. II SAM. II. 13. II. REG. XVIII. 17. hoc etiam inprimis Populo Isaëlitico proprium fuit.

(21) XENOPHON. *Cyrop.* L. III. Cap. III. §. 28.

(22) I SAM. XVII. 2. XIV. 4. II CHRON. XIII. 4. XX. 16. JUD. VII. 1 et 12.

(23) XENOPHON *Cyrop.* L. III. c. III. §. 28.

(24) WEISKIUS *in Prol. ad Cyropaediam* pag. 119.

de qua nemo sanior scriptor mentionem facere debere videatur, tantopere commendet aut ejus rationem habitam esse doceat, cum per se intelligatur et populi rei bellicae plane rudes natura facile adsequantur, prospiciendum esse, ne nocturnus hostium adventus omnes opprimat dormientes." Iis autem respondendum, quod, si fossam fodissent, se adversus hostium impetus tutos arbitrarentur, ob eamque caussam negligenter castra custodirent; quae caussae fuerunt, cur tam saepe exercitus ab hostibus oppressi sint (25): praesertim quum noctu sine curis dormirent, et ordinem non servarent (26). Etiam apud Orientales populos in more fuit, si expeditionem susciperent, secum sumere uxores et liberos, partim amoris caussa, partim ut eo audacius pugnarent (27). Hunc morem etiam habuerunt Persae (28). Si itaque viri hostibus cederent, ad virtutem denuo incitabant uxores, vestes discerpebant, et unguibus ora dilaniabant, simul eos obsecrantes, quibuscunque occurrerent, ne se fugiendo desererent: sed et liberos et uxores et

(25) JUDICUM VII. I SAMUEL XXVI. 5—8.
(26) JUDICUM VII. 21. ibique Cl. PALMIUS.
(27) XENOPH. *Cyrop.* L. IV. Cap. III. §. 2.
(28) Darii etenim agmini in expeditione contra Alexandrum etiam interfuerunt uxores et liberi. CURTIUS L. III. c. 3.

et se ipsos tuerentur (29) Hoc etiam locum habuit apud Assyrios et a Xenophonte in primo proelio accidisse refertur (30). Ultimo agmini plerumque interfuerunt uxores, si progrederentur (31) carpentis autem praemittebantur, si fuga ineunda esset (32). Castra plerumque abundabant permultis ovibus et multis bovibus: et multa multis bonis referta plaustra aderant. Et ita, quum hostes fugissent, Persae Assyriorum castra occupabant (33). Hanc rem a Xenophonte vere fuisse depictam et in ea Orientalium ingenium spirare testatur sacra historia (34). Curribus in proelio etiam utebantur Assyrii (35), qui, acutis falcibus praediti, magnam plerumque inter hostes fecere stragem (36).

Jam ad ingenium Croesi veniamus: in eo etiam Orientalium indoles conspicua est. Fuit sapientissimus Rex et Lydiae valde cultae imperavit. Sub Croeso ad summum potentiae et gloriae fastigium pervenit, non

(29) Hoc fecerunt Cimbrorum uxores, cum Romani victores essent. FLORUS L. III. Cap. III. §. 16 et 17.

(30) XENOPH. *Cyrop.* L. III. Cap. III. §. 67 sq.

(31) CURT. L. III. c. 3.

(32) XENOPH. *Cyrop.* L. IV. Cap. II. §. 29.

(33) XENOPH. *Cyrop.* L. IV. Cap. I. §. 9.

(34) Conf. cum illa celebri Josaphati victoria II CHRON. XX. 25. et Samariae liberatione II REG. VII. 7—16.

(35) XENOPH. *Cyrop.* L. III. Cap. III. §. 60.

(36) JOSUA XVII. 18. JUD. I. 19. II REG. VIII. 21.

non illud tamen robur acquisiverat, quo opus fuit, ut feliciter suscipere potuisset, in Persas expeditionem. Non solum occupatae a Majoribus provinciae ab ipso servatae sunt, verum etiam novae additae (37). Lydorum gens fuit strenuissima. Exercitus fuerunt bene instituti. Equitandi peritia inprimis excellebant Lydi, et numero et arte insignem habebant Equitatum (38). Postquam Heraclidae in Lydia sedem fixerant, artes magis florere incipiebant; imo, quum Cyrus urbem expugnaret, artificia jam multa fuerunt: et multis pretiosis et pulchris prae ceteris urbibus ornatae erant Sardes (39): inprimisque lanae contexendae et tingendae opere excellebant (40). Etiam in magnis operibus faciendis clari erant Lydi (41). Opes regni et divitiae tempore Croesi fuerunt tam insignes ut in proverbium abirent (42). Imo Lydia sub Croeso ad eam potentiam pervenit, ad quam sub Salomone populus Hebraeus. Primi hominum fuerunt Lydi qui aureos et

(37) HEROD. L. I. c. 26—28.
(38) HEROD. L. I. c. 79 et 80.
(39) XENOPH. *Cyrop.* L. VII. c. II. §. 12.
(40) Jam antiquitus ea lanifica ars in Asia Minore floruisse videtur; HOMERUS etenim jam de operibus apud Trojanos mentionem facit, in quo tela et colo uterentur v. g. L. VI. vers. 490 etc. Conf. OVIDIUS *Metamorphos.* Iliad. L. VI. v. 5 Sq.
(41) HEROD. L. I. c. 93.
(42) JUST. L. I. c. 7. CICERO *de Fin.* L. III. c. 14.

et argenteos nummos cuderunt, iisque usi sunt: primique etiam fuerunt mercium institores. Narrantur etiam tesserarum et talorum ludum, et pilae, aliaque eorum esse inventa (43). Sardes, Lydiae caput, ad tantam evectae sunt gloriam et splendorem, ut ad eas confluerent viri nobilissimi et sapientissimi (44). Itaque externam felicitatis speciem quidem gerebat Croesus, sed in ipsa familia infelix erat. Et maxime primum dolebat, quod nullos liberos procrearat. Inprimis etenim in Oriente magnus habebatur honos, quam plurimos habere liberos. Abrahamus et Sara magnopere laetabantur, cum iis liberorum procreatio praedicaretur (45). Priamum saepe propter quinquaginta liberos, in quorum uno Hectore omnis spes regni consistebat, laudibus celebrant poëtae. Persici Reges quotannis constitutis diebus praemia publice his, qui liberorum numero familias auxissent, eoque modo hominum numerum amplificassent, proponere consueverunt (46). Hamanus liberorum suorum multitudinem divitiis suis annumerat (47).

Hoc

(43) Herod. L. I. c. 94.
(44) Herod. L. I. c. 27 et 75.
(45) Genesis XVIII. 12.
(46) Herod. L. I. c. 136. Strabo L. XV. pag. 1065. Conf. Brisson. de *Regno Persico*. pag. 478 et 547.
(47) Esther V. 11.

Hoc itaque, Orientalium more, etiam sperans, Croesus Oraculum de liberis procreandis tentat; sicutque Samuelis mater, quum nullos liberos suscepisset, in templum Hierosolymitanum venit, ut hujus rei caussa preces Deo funderet (48): sic Croesus Oraculum Delphicum consuluit, Deo pretiosa donavit, atque intimo in pectore spem clandestinam habuit, ut Deus ipsius precibus annueret. Et quum Pythia primum non responderet, etiam plura donaria Croesus misit, partim aurea, partim argentea; atque ita Deum, permultis etiam caesis hostiis, sibi amicum reddidit. HERODOTUS recenset donaria (49), a Croeso collecta, ut Deum sibi conciliaret, quae immensa fuerunt. Etenim multa ab ipso congregata pretiosa in pyram jussit conjici, Lydos etiam jubet, quidquid pretiosi haberent, immolare: ex quo sacrificio, quum immensa vis auri defluxisset, multa donaria conflavit; quae omnia una cum legatis Delphos misit. Qui hanc Croesi munificentiam et liberalitatem in dubium vocant, non recte agere mihi videntur; quum non recordantur liberalissimae Salomonis pietatis in templi Hierosolymitani dedicatione (50), in quo instauran-

(48) I SAMUEL I.
(49) HEROD. L. I. c. 50. Coll. c. L. I. c. 92.
(50) I REGUM VIII.

rando victimarum numerus ingens sacrificabatur; neque cogitant, Lydos non tantum habuisse arenas fluviorum auriferorum, sed Croesum etiam jussisse suos in ipsa terra metalla scrutari. Quum responsum accepisset de eo, quid reliquum vitae tempus faciendum sibi esset, si feliciter degere vellet, ita judicat, ut partim cognosci posse homines, partim non cognosci posse putaret, verum se ipsum cognoscere certum haberet. Ideo incitatur ad bellum contra Persas gerendum, quum nempe etiam ii, qui ei adsentabantur, aulici futurum dicebant, ut omnes ipsi parerent. Huc accedebat, quod socii eum Ducem in bello gerendo nominabant et ita ejus majorem potentiam agnoscebant. Non a Croesi ingenio haec abhorrent: nam quamvis prudens sit homo, tamen ea, quibus potentiam suam adaugere potest, avide arripit. Praeterea Croesus, quamvis prudens, tamen superstitioni populari addictus fuit. Quod HERODOTUS (51) tradit etiam Croesum, affinitatis vinculo cum Astyage junctum, graviter tulisse, quod ille a nepote subjectus teneretur, minus probabile est, quum Astyages quiete mortuus sit et ei Cyaxares successerit (52), et histo-

(51) HEROD. L. I. c. 73.
(52) XENOPHON *Cyrop.* L. I. c. V. initio. De Cyaxare jam in Introductione mentionem fecimus.

toria illorum temporum praeterea minime careat exemplis Regum, qui consanguinitatis vinculum parum curavere (53). Quum autem Croesus videat se non recte egisse, suam incusat imprudentiam. Et quoniam Cyrus ita egregie erga ipsum se gerit, Apollini grati animi significationem ostendit. Croesi amor erga Lydos mansit: prudentiae suae egregia documenta Cyro edidit, tam Populi Lydorum commodo quam Regis Persarum utilitati (54). Inter consilia, quae a Croeso data esse Cyro dicuntur etiam Xenophon refert (55) quod Croesus videns Cyrum multa largiendo pauperem fieri eum reprehenderit ob has largitiones, multo melius statuens thesauros domi recondere. In Oriente sane multas opes per aetatem suam plerumque cumulabant Reges liberis, posterisque. Ideo Croeso tantae fuerunt divitiae, quas abavus Gyges aliique ejus successores cumulaverant, ita ut ipse ditissimus Rex appellaretur. Fuit etiam apud Orientales mos, omnia, quae jure belli acquirere possent, rapere et secum ferre. Exemplum est in Hierosolymo-

(53) Quomodo consanguinitatis vinculum venerarentur Reges, exemplum est Septuaginta fratrum caedes ab Abimelecho perpetrata JUD. IX. 5. et Filii sacrificium a Rege Moabitarum factum II REG. III. 27.

(54) XENOPHON *Cyrop.* L. VII. c. II. §. 12. HEROD. I. I. c. 88.

(55) *Cyrop.* L. VIII. c. 2. §. 15.

morum expugnatione, ubi ne aurea quidem vasa, cultui divino destinata, omiserunt Babylonii (56). Deinde etiam hic mos apud Persas invaluit; et tam immensae fuerunt divitiae, quas Alexander Magnus Susis, Persepoli aliisque in urbibus occuparet (57) ut ad ea vehenda jumenta et camelos a Susis et Babylone contrahi jusserit. Itaque omnibus locis Croesi character eximie a Xenophonte est depictus: et prudentia et sapientia Croesum praeditum fuisse facile animadvertitur.

Quod tandem etiam ad Cyri crudelitatem, ab Herodoto et qui eum sequuntur, celebratam, attinet, illa poena apud Persas insolita fuit (58). Regibus victis quidem ut servis utebantur, aut potius in captivitate vitam finire cogebant, et etiam gladio caput amputabant (59): si nempe metuerent ne no-

(56) II CHRON. XXXVI. 18. JOSEPHUS L. X. c. 11.

(57) CURTIUS L. V. c. 25.

(58) Etenim minus recte BRISSONIUS hoc ex verbis Ctesiae conficere videtur (pag. 565). Nam *εἰς σποδὸν ἐμβαλλέσθαι in cinerem conjici*, longe aliud est quam in ignem. Ingentem scilicet cineris vim colligebant in unum locum, qui locus alto undique muro erat circumdatus. Jam reum de summo muro in cinerem conjiciebant, qui eo obrutus suffocabatur. Memini me legere idem poenae genus apud Persas recentiores viguisse. Locus quidem HELIODORI, qui fabulam amatoriam conscripserit, etiam a Brissonio laudatus, parum huc facit.

(59) Vid. v. g. Psammeniti filii poena, cujus caput gladio amputatum fuisse videtur HEROD. L. III. c. 14 et 15. Ceterum conf. de diversis, quae apud Persas in usu fuerunt, poenarum generibus BRISSON. L. II. c. 212 sq. pag. 563 sq.

novas res molirentur: sed flammarum poenam non apud Persas in more fuisse merito colligitur.

§. 3.

Xenophon nullas habuit caussas, cur fingere in hac vita voluerit.

Itaque in plerisque, nisi in omnibus, quae in hac vita legimus, historicam veritatem secutus est Xenophon: saltem ejus narratio simplex est et magis veritati, quam reliquorum, accedens. Nam, etiamsi quid ab eo fictum ponamus, probabilitas tamen talis est, et temporum illorum, quibus acciderunt, tam bene habita ratio, ut veritati contraria nulla appareant. In quibusdam etenim v. g. in conditione erga Croesum, in Apollinis Oraculi responsis non aliter veritas confirmari videtur, nisi comparetur cum Cyri et Croesi characteribus et cum illorum temporum moribus et consuetudine: cum contra reliqui scriptores multa acceperint, quae ex vulgi, mira captantis, fabulis profluxerunt.

Praeterea eo libentius Xenophontis narrationibus prae reliquis historicam veritatem tribuimus, quia nullas praeterea caussas, cur in hac vita fingendi arte uteretur scriptor, cognovimus. Nam quamvis multi ea, quae Herodotus tractavit, secundum ve-

veritatem tractata esse velint, tamen ea melius fabulae Heliodori, Achillis Tatii, et similium scriptorum fuissent apta, quam simplicia, quae Xenophon narrat. In ea vidissemus Croesum per aulam euntem ut Soloni sapienti opes et divitias demonstraret, spe incitatus, fore ut ex ejus ore audiret se omnium hominum esse beatissimum: Philosophum autem contra dicentem: neminem hominum ante mortem esse felicem. In ea apparuisset Croesus aequo Marte contra longe numerosiores copias pugnans: et non nisi dolo victus. In ea invenissemus Croesum, qui nil injuste egerat, sed tanquam patrem se gesserat (60) et qui populi amorem, etiam postquam regno exutus esset, ostendit (61), a crudelissimo victore morte damnatum: imo, quod Romanticam inprimis flagitaret formam, flammis traditum: Tunc ter Solonis nomen exclamasse, et quum, Cyri jussu, qui succurrerent, Persae flammas exstinguere non possent, Croesi precibus ab Apollinis imbre exstinctam fuisse pyram: tunc ad Cyrum salvum pervenisse, et ita poenas luisse pro criminibus, quae Gyges ejus abavus

πέμ-

(60) Hujus rei exemplum est universae Graeciae consilium, ut, si quid crudele in Croesum consuleret, auxiliarentur vel ejus liberandi vel ulciscendi gratia. JUSTIN. L. I. c. 7.

(61) XENOPHON *Cyrop.* L. VII. c. II. §. 12—14. HEROD. L. I. c. 88 et 89. HEROD. L. I. c. 155.

πέμπτος ἀπογόνος (62) patraverat. Quam pulchre historiam fictam exornare potuisset Xenophon et quanto majorem suavitatem haec fabula tunc acquisivisset! Et hoc iterum indicio est fidei Xenophonteae, quod, quamvis Graeco more quaedam, licet pauca, affinxerit, tamen non ita a veritate recesserit, ut, quae prorsus veritati historicae non convenirent, traderet, verum e contrario veritatem prae reliquis servaverit.

Consilium Cyropaediae fuit, ut Cyrum laudibus cumularet. Sed ita cumulat ut a veritate non abhorreat. Si etenim, aeque ac Nicolaus Damascenus, Croesum ad pyram adduci curasset, et tunc ipse Cyrus ab hac poena eum liberasset, fortasse Cyri virtus majus excelluisset: nunc autem, veritatem secutus historicam, primum custodiri Croesum jussit: et videns bonum et prudentem virum esse, semper secum duxit et in magno honore habuit.

Sic etiam in bellicis artibus tradendis nullae caussae adsunt, cur putemus Cyrum nimia belli audacia et virtute fuisse praeditum. Herodotus in primo proelio aequo Marte pugnasse Lydos et Persas tradit: in altero tantum victum. Xenophon Persis in am-

(62) Herod. L. I. c. 91.

ambobus proeliis victoriam adscribit. Nonne Cyrus majori militarium rerum laude ornatus fuisset, si adversarium, contra quem in primo proelio aequo Marte pugnat, in altero demum vix vicisset? Tunc Cyri laus, cujus erat eum subigere, fortasse etiam major fuisset.

Praeterea in secundo proelio non victoriam acquisivit solum audacia et virtute: verum multo magis dolo, quem adhibuit et ipsi ab Harpago suggestus fuit (63). Camelis etenim immittendis et curruum falcatorum agitatione fugantur Lydi. Nonne magis ad Cyri laudem pertinuisset, praesertim illis temporibus, si virilis virtus in primaria laude poneretur, armis ipsis et audacia hostes vincere, quam dolo et insidiis eos perturbare? Sic Sardium Cyri cum Homotimis aperta expugnatio gloriosior fuisset, quam dolosa Persae cujusdam, per eam partem muri, quae non custodiebatur, urbis adscensio.

Si Xenophon ita gravissimum bellum tradidisset, ut uno quasi proelio defineretur, uter Asiae dominus esset Croesus an Cyrus, Cyri animus parcentis Croeso, multo magis etiam eminuisset. Herodotus autem, qui memorat quam facile hoc bellum finitum sit, inhumanum depingit Cyrum, immoderateque in Croesum saevientem.

Et

(63) Herod. L. I. c. 80.

Et sic jam dissertationi finem imponere possum. Croesi Xenophontei vitam ad historicam fidem exegimus; Herodotoque ac ceteris minime fidem in omnibus habendam esse ostendimus. In eo praecipue peccasse videtur Herodotus, quod superstitiosas populi et temporum, quibus vixit, traditiones acceperit et Cyrum nimia crudelitate imbutum scripserit. Xenophon contra in multis acutius et verius judicavit: quare eum Herodoto anteferendum censuimus. Quamvis ex Xenophonte Orientalium mores et ingenium spirant, tamen multa etiam Herodoto debemus, atque ejus historica monumenta veneramur: neque dubitamus cum CICERONE Herodotum *Patrem Historiae* vocare. Quod autem Xenophontem sequi malierim quam Herodotum, ejusdem CICERONIS dicto me munitum credo: Quid obstat, quominus ea sequamur, quae probabilia videantur; quae minus, rejiciamus.

T A N T U M.

THESES.

I.

Egregie WYTTENBACHIUS in praefatione ad *Select. Princ. Histor.* pag. 12. XENOPHONTEM dicit *ejusdem, cujus Herodotum et Thucydidem, palmae socium.*

II.

Errant ii, qui ex Platonis loco *de Legibus* L. III. pag. 694. D. colligunt, Cyropaediam Xenophontis non ad fidem historicam esse conscriptam.

III.

Qui Xenophontis Cyropaediam omni veritate historica destitutam existimant, perversam sententiam sequi videntur.

IV.

Xenophontis Cyropaedia est egregius fons ad cognoscendam illorum temporum historiam.

V.

Cyaxares II. idem fuisse videtur, qui Darius Medus.

VI.

Quamvis non diffiteamur, de Cyri I morte nil certum dici posse, nullae tamen caussae sunt, quare *Xenophontem* in eo non sequamur.

VII.

3 0112 098703280

THESES.

VII.

Qui colloquium Solonem inter et Croesum unquam habitum fuisse narrant, minus recte Chronologicam rationem adhibuisse videntur.

VIII.

Herodotus in historia conscribenda multum ex Graecorum fabulis sumsisse videtur.

IX.

Herodoti narratio de Croeso in pyram conjecto rejicienda videtur.

X.

Contra, Xenophontis narratio cum temporum tum Cyri ingenio convenit.

XI.

In Croesi vita et Orientales mores et ipsum Croesi ingenium pulchre atque vere a Xenophonte depinguntur.

XII.

Non reprehendendus est Historicus, si fictas orationes rerum narrationibus inserit.